Library of The Theological Seminary

PRINCETON · NEW JERSEY

PURCHASED BY THE
MRS. ROBERT LENOX KENNEDY
CHURCH HISTORY FUND

BX 3701.M8 F76 v.5
Borja, Francisco de, Saint,
1510-1572
Quartus Gandiae dux et
Societatis Jesu

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/quartusgandiaedu05borj

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU
A PATRIBUS EJUSDEM SOCIETATIS EDITA

SANCTUS FRANCISCUS BORGIA

* OCT 1
THEOLOGICAL

SANCTUS
FRANCISCUS BORGIA

QUARTUS GANDIAE DUX

ET

SOCIETATIS JESU

PRAEPOSITUS GENERALIS TERTIUS

V

1569-1572

MATRITI
TYPIS GABRIELIS LOPEZ DEL HORNO
via S. Bernardi, 92.
1911

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

PRAEFATIO

En tibi, studiose lector, quintum Borgianarum litterarum volumen, quo non solum selectae epistolae, a Borgia tribus ultimis suae vitae annis datae, vel ad eumdem scriptae, sed alia insuper historica monumenta ad ipsum spectantia continentur. De quibus ut pro more nostro aliqua praelibemus, prius de eorum numero, delectu, et natura; postea de argumentis disseremus.

I

Ne quis autem miretur plures epistolas, a Borgia annis 1569-1571 datas, vel eidem inscriptas, in hoc volumine desiderari, duo a nobis heic animadvertenda sunt. Primum est, quod jam in praecedenti volumine, pagella v, circa epistolas Borgiae ad Natalem, Salmeronem et alios scriptas, notavimus, scilicet, non in hoc libro illas quaerendas esse, cum fere omnes in aliis nostrorum MONUMENTORUM sectionibus editae fuerint. Alterum autem pertinet ad delectum epistolarum Borgiae, earum praesertim, quae in regestis continentur; quarum, cum magna pars in rebus parvi momenti, et ad historiam prorsus inutilibus, versentur, eae dumtaxat a nobis edendae visae sunt, quae vel ad Borgiana gesta, vel ad Societatis historiam, novam lucem quomodocumque afferre possent. Quo in delectu, si quid a justo medio discessimus, potius excessu quam defectu nos peccasse arbitramur. Hac etiam delectus necessitate permoti, plures epistolas non integras, sed suppressis rebus inutilibus et servatis utilibus, proferimus.

In hoc igitur volumine epistolae tercentum quadraginta et amplius exhibentur, quarum ducentum decem et novem a Borgia vel ejusdem nomine scriptae; centum viginti tres ad Borgiam datae fuerunt. Ex ducentis decem et novem litteris a Borgia, vel

ejus nomine, scriptis, autographae quinque, archetypae centum viginti et tres, quarum octoginta et septem a Borgia, triginta et sex a Polanco ex illius commissione subscriptae; ex regestis depromptae duo et octoginta, apographae novem, recensentur. Ex viginti tribus supra centum epistolis, Borgiae datis, autographae quatuor et sexaginta, archetypae quadraginta et sex, ex regestis transumptae sex, apographae quinque, et e libris prelo excusis duo depromptae numerantur. Et hae sunt epistolae vel a Borgia vel ad Borgiam datae. His addendae sunt quae circa eumdem sub ejus decessum a Polanco vel ad Polancum scriptae fuerunt, et aliae nonnullae.

Pauca in hoc loco addenda erunt iis, quae de natura vel generibus harum epistolarum in praecedentis voluminis praefatione scripsimus; ad eadem quippe genera hujusce libri litterae fere omnes pertinent. Illae tamen, quae sub numeris 706 et 740 exhibentur, tametsi nonnulla contineant de sacris muneribus quorumdam Patrum e nostra Societate, hispanis militibus impensis, maxima nihilominus parte in belli granatensis historia enarranda versantur. Litterae autem communes, a Borgia ad universam Societatem scriptae, quae sub numero 717 reperiuntur, nihil aliud sunt, quam tractatus spiritualis de mediis conservandi et perficiendi spiritum nostrae vocationis. Familiares etiam plures epistolae, intima quaedam de Borgiana familia pertractantes, inseruntur. His adde nonnullas litteras patentes, et instrumentum procuratorium a Borgia, in Hispaniam proficiscente, P. Hieronymo Natali datum. Et haec de numero ac genere epistolarum. Jam ad earum argumenta gradum faciamus.

II

Ut varia argumenta epistolarum hujus libri breviter ac ordinate ob oculos lectoris exponamus, prius de Borgia, Societatis universae moderatore, deinde vero de Societate, sub Borgiae regimine in quatuor assistentiis florente, disseremus.

1. Franciscus Borgia, quem in praecedentis voluminis prooemio omnibus perfecti praepositi generalis dotibus exornatum, et Ignatio, Societatis conditori, simillimum contemplati su-

mus, ex praesentis libri monumentis non solum iisdem dotibus ac virtutibus decoratus, sed splendidiore in dies luce refulgens usque ad gloriosam mortem, quam pro ecclesia Christi ac pro dilectissima sibi Societate libentissimo animo oppetiit, conspicitur.

Nullibi melius quam in aurea illa epistola de mediis conservandi spiritum Societatis et vocationis nostrae, ad universam Societatem post procuratorum comitia a Borgia data, hujus vere egregii moderatoris vigilantia, spiritus, amor familiae sibi commissae, studium ac indefessa sollicitudo promovendi in omnibus filiis suis spiritus fervorem, observantiam constitutionum, religiosam paupertatem, obedientiam, caeterasque virtutes, spectantur. Prosperum Societatis statum, non jam ex litteris mortuis, sed ex viva procuratorum relatione, Borgia cognoscens, summa laetitia et jucunditate perfusus, providentiam singularem laudibus extollit, «qua Divina Majestas tuetur et auget hujus vineae suae fructus, quae, licet novella, et non ita pridem consita, extendit tamen palmites usque ad mare».

Hoc tam excellens monumentum, non ex versione latina, inter alias Patrum generalium epistolas edita, neque ex hispanica translatione, nostris diebus ex latina deprompta, sed ex autographo, Borgiae manu exarato et emendato, sub numero 717 proferimus. Nec enim decebat alieno calamo transumptam exhibere epistolam, in qua propria manu et proprio veluti penicillo ipse Borgia pulcherrimam suimetipsius imaginem delineavit, imaginem scilicet sui spiritus, ad instar illius conformati, quem Ignatius in suis nobis Constitutionibus descriptum reliquit.

Si quid autem in hac tam eximia Borgiae imagine desideretur, illud cumulate reperietur in altero, huic certe non secundo, monumento, quo tota epistolarum Borgianarum series clauditur, *Diario,* nempe, seu *Ephemeridibus,* ejusdem Borgiae manu hispano sermone scriptis. In iis Borgia mirabili prorsus et constanti diligentia singulis diebus accurate notabat intima animi sui in divino conspectu concepta, miras ex divina contemplatione sententias haustas, ignita, quibus cor ejus aestuabat, moriendi pro Christo desideria, crucis ejusdem Servatoris ferendae studium,

postulationes coram Deo, Deipara virgine, caelitibus cunctis, sine intermissione fusas, «totum, denique, ut ait SACCHINUS, cum Deo negotium: quas res nemo, opinor, nec sine ingenti admiratione, nec sine singulari pietatis ardore legerit, nec item sine pudore ac suimet despectu, tanti comparatione viri» [1]. Hoc autem tanti ponderis autographum, nondum hactenus integre ac hispanico sermone editum, et ad Borgiae mirabilem perfectionem penitius cognoscendam necessarium, lectoribus nostris multis annotationibus illustratum offerimus.

Jam ad alia circa eumdem Borgiam proposita veniamus. Qui, in litteris patriarchae Aethiopiae cernens hujus sanctissimi praesulis invictum animum in laboribus, in paupertate et inopia omnium rerum, ad vitae sustentationem necessariarum, vehementer commotus, haec illi scribebat: «Anímame el buen ánimo que ueo en V. P. y en los compañeros que tiene consigo; alégrame el zelo con que, no solamente se offreçe á quedar en ese destierro y desolatión por el bien y consolatión de esas poquitas ouejas que ha ganado para Xpo., su eterno pastor, pero aun ruega y haze instancia para que le sea lícita la quedada. ¡O Padre Rmo.! y cómo se trasluze acá la diuina luz que allá illustra sus corazones, pues de lo que redunda de su uoz nos alcança aquí nuestra parte. Alaben al Señor sus ángeles y bendíganlo todas sus criaturas por las misericordias que sabe y quiere hazer adonde el ciego mundo se da á entender que no ay sino miserias. ¡Quán mejores ojos tienen los que ueen lo que uee V. P.! pues salir de esa Ethiopía, donde ay tantos trabajos, le parece tinieblas, y estar en medio dellos lo tiene por claridad y regalo, conociendo el seruitio que se haze en ello á Dios N. S. (692) [2].»

Societatis et divinae gloriae per totum orbem amplificandae desiderio accensus, selectos operarios ad Indiam, Brasiliam, Japoniam aliasque remotissimas gentes mittit, eos ad laborum tolerantiam adhortatur, consiliis adjuvat, in adversitatibus consola-

---

[1] SACCHINUS, *Hist. Soc. J.*, part. III, lib. VIII, n. 140 et seqq., ubi hoc Borgiae monumentum maximis laudibus exornat.

[2] Numeri, hic et infra, paragraphis subjecti, non paginas sed epistolas indicant.

tur, gratias et facultates eisdem a sancta sede impetrat, eorumque saluti ac incolumitati providet (691-694, 703, 794, 818, 819, 944); ad Novam Hispaniam, regis Philippi postulationi morem gerens, primas illius provinciae columnas mittit (948, 970, 973, 977); Hispaniae praepositos provinciales, ut aliquos ex singulis provinciis socios Patri Ignatio Azevedio, ad Brasiliam profecturo, adjungere velint, rogat (736); Patri Christophoro Rodericio, ad classem hispanicam cum sociis destinato, monita opportuna et rerum in variis locis gerendarum memoriale tradit (707, 708, 711).

Optimi moderatoris officium est, non solum viros perfectos, pro cujusque ingenio, variis muneribus praeficere, eosque consilio et instructionibus, pro rerum adjunctis, juvare, sed imperfectos paterno amore admonere, errantes corrigere, animo concidentes erigere, omnibus denique omnia, ad exemplum divi Pauli, fieri, ut omnes Christo lucrifaciat. Quam egregie haec omnia praestiterit sanctus Borgia, luculenter ostendunt litterae Patri Stradae, animo despondenti, datae, quibus illum ad apostolicos labores strenue aggrediendos verbis amorem spirantibus adhortatur: «Y así le digo, Padre carísimo, «accingere gladio tuo... potentissime». Mire que la palabra de Dios no es cuchillo para dejarle enmohecer en la vaina. En esto consolará mucho á los de allá, que dan voces por el pan de la doctrina, y consolará también á los que acá estamos obligados á decir á los predicadores: «Clama, ne cesses (729).» Item, idipsum eruitur ex pulchra et religiosa adhortatione, Patri Christophoro de Mendoza scripta, dum ille, obedientiae jugo collum submittere renuens, ex Hispania in Italiam transire cupiebat (765); et ex epistolis, Patri Didaco Paëz ejusque moderatori, occasione quorumdam errorum ab illo pro suggestu Florentiae prolatorum, datis (844).

Quod autem mirum est, tanta regiminis universae Societatis sollicitudine minime oppressus, Borgia aegrotantium in diversis collegiis notitiam habere procurat, eorumque valetudinem curandam moderatoribus provinciarum et visitatoribus commendat (813, 830, 834, 836, etc.). Vixque ad ejus notitiam pervenit P. Gerardi Gerardini, a praedonibus capti, tristis casus, nullum

non movet lapidem, ut ille redimi quamprimum possit, litterisque interim amore plenis eum in tanta tribulatione consolatur (813, 816, 820, 821, 828, 832, 836, 868, 870).

Nihil tamen tam cordi habuit infixum Borgia, quam animorum concordiam in universa Societate fovere, eamque, tamquam firmissimum illius columen, in variis epistolis enixe a moderatoribus tuendam monet (750, 880). En quibus verbis P. Leonem Henricium, provinciae lusitanae praepositum, hac de re alloquebatur: «Y cuanto al soli que me envió de su mano sobre la diferencia de Biscaya (provinciae, scilicet, Castellae) y los que no son de aquella provincia, creo que la respuesta mejor que le puedo dar, son las palabras que V. R. me alega, de quánto importa la unión y caridad, y el sentir bien de todas las naciones y gentes; y si esto es en cualquiera comunidad, cuánto más se ha de desear dentro de una religión fundada en la caridad y en el santo nombre de Jesús, «qui fecit utraque unum», et apud quem baptizati in ipso, spiritum ejus induerunt (721).» Simili monito inspectori provinciarum Galliae, Mercuriano, charitatis vincula inter sodales collegii parisiensis et eos, qui ad alia collegia pertinebant, stringenda commendabat (880).

Cum autem secunda congregatio generalis, praeter alia placita, decrevisset ne admitterentur collegia, vel minora, vel minus commode dotata, quam justa ratio postulasset, eo quod ex illis parum fructus et multum incommodi oriatur, Borgia operam assiduam ad hoc decretum exsequendum navavit (763, 809). Eadem diligentia servari curavit illud congregationis statutum, quo sanciebatur, ut singulae provinciae propriam haberent probationis domum, in qua Societatis novitii biennio solitis experimentis probarentur, ut infra, de singulis assistentiis disserentes, ostendemus.

Et, quia ad Societatis incrementum majoremque Dei obsequium conferre ex Constitutionibus norat Borgia, si principum benevolentia honestis quibuscumque mediis concilietur, nullam unquam ad hoc medium adhibendum occasionem praetermisit. Sic, Margaritae, ducissae Parmae, litteris observantiae plenis satis facere nititur (700); comitissae de Osorno, litem contra col-

legium vallisoletanum sustentanti, amorem suum et Societatis testatur (701); Marcum Antonium Columnam, non solum litteris commendatitiis apud regem Hispaniae acceptum reddere, sed, quod praecipuum est, a nostratibus in spiritu juvari curat (711); et ob insignem victoriam, ad Naupactum contra Turcas obtentam, eidem gratulatur (987); Eleonorae Mascareniae, nobilissimae foeminae, intimae amicitiae simul et profundi suimetipsius contemptus sensa pandit (726); Lusitaniae reginae, Catharinae, per P. Azevedium transumptum imaginis Deiparae, a divo Luca depictae, cum litteris, amorem simul et religionem spirantibus, mittit; aliasque saepius, praesertim cum Joannes Borgia, a rege Hispaniae legatus, Lusitaniam petiit, memorem se in variis litteris profitetur amoris ac benevolentiae, qua jam a tenera aetate, dum Borgia inter ephebos aulicos versaretur, eum Catharina prosequebatur (734, 755, 798, 946); quae quidem reginae erga Borgiam benevolentia et aestimatio in variis ejusdem epistolis conspicitur (996, 1008, 1014).

Philippo II, Hispaniarum regi, cum primis Borgia obsequentissimum se praebuit. Cujus rei aliqua tantum testimonia proferre sufficiat, ut brevitati consulamus. Cum Philippus ad Baeticam se conferret, ut, belli granatensis processum propius dispiciens, opportuna media ad illud feliciter gerendum disponeret, simulque comitia regni convocaret, Borgia P. Aloisium de Mendoza ad eum cum sacris reliquiarum muneribus et pulchra imagine B. Mariae virginis mittebat (802, 849, 852). Rex autem collegium cordubense Societatis invisit, sanctorum reliquias, Roma missas, summa reverentia veneratus est, et, theologicae disputationi cum cardinali Spinosa assistens, Societatis studia laudibus extollit (856, 858, 859). Eadem animi alacritate regis placitis obsecundavit Borgia, cum ille Patrem Avellanedam comiti Montisacuti, ad Germaniam legato, socium adjungi, et preces in universa Societate pro negotiis Hispaniae indici, poposcit (861, 864). Idem rex Philippus auctor fuit Borgiae, ut Societatem in Novam Hispaniam inveheret, litterisque, 4 Maji anni 1571 datis, eum rogabat, ut 12 saltem operarios ad illam regionem mittere vellet. Annuit libentissime Borgia, qui eodem ac rex desiderio ardebat. Et vix

Barcinonem cum cardinali Alexandrino ille attigit, cum litteras accepit, quibus, de adventu in Hispaniam ei rex gratulatus, pro sociis ad expeditionem mexicanam concessis gratias agebat (948, 970, 977). Multo plura de observantia Borgiae erga regem Hispaniae, tum in ejus litteris, tum in *Ephemeridibus* reperiuntur, quae in indice ad calcem voluminis commodius et brevius recensentur.

Quam gratum et jucundum se Borgia exhibuerit erga fautores Societatis, et in primis erga collegiorum conditores, perspicue apparet in epistolis, cardinali Henrico, principi Lusitaniae, datis (724, 826); Joanni de Ribera, archiepiscopo valentino (790); Franciscae Manjón (810); ducissae de Alburquerque, uxori gubernatoris mediolanensis, quam tamen comiter admonet, ne dapes opulentas ad pauperes religiosos mittat (811); Alvaro de Bazán, marchioni Sanctae Crucis (815); Ferrariae duci, quem cum summo pontifice conciliat (845, 867, 896); et de publicis calamitatibus amanter consolatur (936); cardinali Carolo Borromaeo (924); duci Parmae (965); Ludovicae de la Cerda, sorori ducis de Medinaceli (976); Joannae Aragoniae, ducissae de Palliano et Tagliacozzo (979). Sed inter has omnes epistolas notatu dignae sunt, quas Mariae Manrique de Lara, splendidae collegii barcinonensis fautrici, scripsit (714), et illae, quae, occasione sacrae vestis, ab eadem nobili matrona acu pictae, et Borgiae dono datae, scriptae fuerunt, ex quibus pauca depromere liceat: «Llegó la limosna de la casulla, y ella es tal, que, si no fuera para quien es, que es Cristo N. S., no osáramos llegar á ella, así por ser tan rica, como por ser tan linda y tan limpia, que llegar á ella pone miedo, como le han de poner todas las cosas que son del Señor, para no llegar á ellas sino con gran humildad. ¡Benditas sean las manos que tal labor hicieron, y bendito el corazón que no se emplea sino en hacer obras para su Criador! (926).»

Nemini tamen inter principes et benefactores tantam obedientiam et observantiam Borgia praebuit, quantam summo pontifici, Christi vicario, utpote qui probe norat quae Ignatius in suis Constitutionibus suis filiis praescripserat, ut nempe «exactissime omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem obedientiae,

in primis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam intendamus [3]»; et ut «In primis conservetur benevolentia Sedis Apostolicae, cui peculiariter inservire debet Societas [4]». Ideo, cum summus pontifex, Pius V, copias suas ad regem Galliae misit, quae contra exercitum hugonottorum decertarent, Borgia, pontificis rogatu, selectos e Societate sacerdotes illis adjunxit, qui, spiritualibus militiae nostrae armis, catholicis militibus adessent (716, 718). Breviarii romani novam editionem, jussu Pii V promulgatam, totique ecclesiae, tamquam formam officii divini persolvendi, impositam, Borgia in Hispania et Lusitania admitti curavit (786, 787). In dissidiis etiam, quae regis Hispaniae et summi pontificis ministros, jurisdictionum occasione, dividebant, prorsus evellendis, egregie, ut alias [5], allaboravit Borgia. En quae hac de re Araozio die 20 Octobris 1569 scribebat: «Yo suplico al señor Rui Gómez haga en esta parte el oficio que, como hijo obediente de la iglesia y fiel criado de la majestad católica, debe á la una y á la otra parte, aconsejando á su majestad que tome la jurisdicción de las cosas espirituales y eclesiásticas de la mano de Cristo N. S. por su vicario, para que entonces su santidad use de liberalidad de padre agradecido con un hijo, á quien Dios N. S. ha hecho defensor y protector de esta santa sede; y le comunique toda aquella jurisdicción que es menester para el buen gobierno de sus reinos (780)».

Nullibi autem clarius splendescunt Borgiae erga Christi vicarium amor et obedientia, quam in arduo et longo itinere in Hispaniam, jussu pontificis suscepto, ut legato ejusdem apud Hispaniae, Lusitaniae et Galliae reges in gravissimis negotiis cum iisdem tractandis adesset. Qua de legatione ac de illius itineris molestiis, a Borgia fortiter exantlatis, multa nova et hactenus inedita in epistolis hujus voluminis continentur (951-1021).

Jam huic primae parti, Borgiam spectanti, finem imponamus, nonnulla de epistolari commercio ejusdem cum duce Gandiae Carolo, filio suo primogenito, aliisque praecipuis hujus familiae

---

[3] *Constit. Soc. J.*, parte VI, cap. I, n. 1.
[4] Ibid., parte X, n. 11, litt. B.
[5] Vide supra, IV, 209-212, 227.

membris praegustantes. Non omnes, quae asservantur, epistolas familiae Borgianae publica luce donare visum est, sunt etenim in iis plura, quae ad historiam nihil prorsus utile afferunt. In omnibus autem, quae in hoc volumine proferuntur, elucent ex una parte Borgiae amor, semper quidem spiritum et Dei amorem redolens, gratus animus pro muneribus et eleemosynis Societati collatis, studium profectus spiritualis in suis consanguineis promovendi; ex altera vero pietas filiorum et amor tenerrimus cum reverentia erga tam eximium parentem, cujus egregiam sanctitatem omnes suspiciebant et venerabantur (696, 719). Joanni, filio charissimo, domino Loyolae, ob ejus cum Laurentia de Loyola et Oñaz matrimonium, litteras plures dedit et ab eo accepit, occasione praesertim ejusdem ad regem Lusitaniae legationis (702, 758, 786, 804, 840, 946, 954). Notatu quoque dignae sunt litterae Caroli, ducis Gandiae, ad dilectissimum parentem, quibus de negotiis sui ducatus, de collegio gandiensi augendo, dotando atque scholis grammatices denuo exornando, de academia collapsa instauranda, de suis litibus et aliis rebus, eum monet, consilium deposcit, solatium in rebus adversis precesque requirit (722, 796). Borgia vicissim consiliis, precibus et piis adhortationibus ad lites et animi aegritudines aequo animo perferendas, ad subditorum curam gerendam, ad bona caduca hujus vitae aeternae beatitudini postponenda, eum perducere nititur; collegio gandiensi magistros et subsidia providet (704, 730, 764). Plura etiam de familia Borgiana, de urbe ac collegio Gandiae, in aliis hujus libri epistolis habentur (696, 744, 762, 831, 851). Et de his satis. Jam ad Societatis opera et incrementa, tribus ultimis regiminis Borgiae annis, properat calamus.

2. Societas Jesu eo tempore in quatuor assistentias divisa erat, ita ut Italia et Sicilia primam; alteram Hispania cum Indiis occidentalibus, praeter Brasiliam; tertiam Lusitania cum suis Indiis; quartam provinciae septentrionales Europae, scilicet Germania, Austria, Flandria et Gallia, constituerent. De singulis seorsim dicemus.

a) Italiae assistentia provinciis quatuor coalescebat, romana, scilicet, longobardica, neapolitana et sicula. Romanae magi-

stratum gerebat vir plane egregius P. Christophorus Rodericius, cujus elogium paucis perstrinxit praeceptor maximus Castellae, Ludovicus Requesens, haec de eodem ad Borgiam scribens: «Seríalo mucho [del servicio de Dios] que el uno de ellos [eorum scilicet, qui ad classem destinarentur] fuese el dicho P. Rodríguez, aunque á él le parece que, si no convierte cada día 200 hombres, es siervo inútil (783).» Multae in hoc volumine litterae, ad eum de rebus suae provinciae et de aliis datae, continentur. Sic, cum, mense Martio anni 1569, Rodericius cum P. Michaële Spe et duobus sodalibus, Francisco Brione et Alphonso Bravo, classi hispanicae, ad oras regni granatensis ob mauriscorum bellum missae, adjungeretur, instructionem a Borgia circa res ab iisdem ea in expeditione servandas accepit (707, 708, 811).

Reversus jam Rodericius ad suam provinciam, indefessam operam singulis collegiis invisendis et ordinandis impendebat. Senis quaedam querelarum occasiones Patribus ordinis praedicatorum datae fuerant, quas per Rodericium ita deleri curavit Borgia, ut iis Patribus omnino a nostratibus satisfieret. Cumque collegiorum florentini ac senensis rectores Rodericio mutandi viderentur, hoc negotium et alia illorum collegiorum ejusdem arbitrio Borgia reliquit (830, 834). Laureti, quantum opus fuerit ad illud collegium recte invisendum, consistere jubetur, et de nonnullis scholasticis ad sacros ordines promovendis, aliisque, in litteris, in virtute colenda, et in tuenda valetudine, juvandis, admonetur. Aliqua etiam de angelopolitana probationis domo attinguntur (837). Difficultates haud spernendae a collegio interamnensi admittendo Borgiam avertebant, praesertim exigua dotatio, illi assignata, et quaedam conditiones, parum nostro instituto consentaneae, quas quidem Rodericio considerandas ille commendat, ut rem maturius sancire possit. Hac occasione, et spoletinorum postulationibus permotus, qui collegium Societatis instanter exposcebant, Borgia Romam accedere Rodericio suadet, ut de rebus suae provinciae coram secum agere queat (746-746[4], 846, 873, 877).

Interim gymnasii interamnensis fabrica lente admodum progrediebatur, et tamen magistros quamprimum Interamnam mitti

cives flagitabant, et ludimagistros laicos dimittere volebant, quod prorsus vitandum Borgia censebat, nec scholas aperiendas donec aedificii saltem dimidia pars absolveretur (883, 884, 891); rem nihilominus provinciae moderatori definiendam committebat (891, 899, 907). Quoniam vero P. Tarquinius Rainaldus, qui huic inchoato collegio praeerat, ad collegium florentinum vel senense transire exoptabat, id ei permittendum Borgia censuit, eumque senensi, et Emerium de Bonis interamnensi collegio praefecit (913, 915, 916). Antequam autem Interamna Tarquinius discederet, litteras praeposito generali dedit, quibus, inopiam incepti collegii exponens, nimis properatum fuisse, ait, in sociis illuc mittendis, neque enim cubicula adornata erant, neque victus necessarius suppetebat, nec pensio, ab urbis senatu promissa, solvebatur, nec regius consensus obtentus fuerat. Ideo omnes socios, praeter unum sacerdotem, unum magistrum et sodalem adjutorem, inde remittendos existimabat (917). Hac de causa ultima die Septembris anni 1570 Rodericius a Borgia rogabatur, ut ad illam civitatem properaret, rebusque tam afflictis mederetur (918); et aliunde, ut facilius consensus regius obtineretur, Salmeroni hoc negotium commendatum est, et Rodericio scriptum, ut quaedam sacerdotia illi collegio adnecti curaret (927, 931). Quantum vero sollicitudinis huic operae Societas adhibebat, tantum socordiae et negligentiae interamne nses prae se ferebant; qua de re juste Borgia conquerebatur, et Rodericio scribebat, ut illius oppidi communitatem ad conditiones, cum Societate stipulatas, adimplendas urgeret (934 bis).

Dum autem haec agerentur, Marcus Antonius Columna, dux classis pontificiae, hoc anno in auxilium venetorum contra Turcas adornatae, aliquot e Societate sacerdotes sibi assignari cum pontificis venia flagitavit, qua de re Borgia Rodericium monet, et aptissimos ad illam expeditionem deputare jubet (878, 879, 882, 883).

Domus probationis angelopolitana, de qua saepius in superiori volumine dictum est, oppidanis et nostratibus parum utilis videbatur, eo quod scholae nondum, ob tenuem dotationem, institui potuerant. Hac de re monitus Borgia, Rodericio litteras

dedit, eum rogans, ut circa hoc negotium sententiam suam exponeret (883, 891). Cum autem Romae magister novitiorum desideraretur, P. Azailla, qui domui angelopolitanae praesidebat, ad Urbem arcessitur, eique Angelopoli P. Joannes Dominicus Candela sufficitur (907, 916, 918). Et, ut praecipuae hujus domus difficultati, quae in exigua dotatione versabatur, remedium apponeretur, P. Dionysius Vázquez, qui neapolitanam provinciam tunc inspiciebat, et P. Joseph Blondus, ducissam convenire eamque obsecrare, ut domui a se conditae prospiceret, jussi sunt (917, 931, 934 bis).

Alia insuper plura de Italiae assistentia in hoc volumine reperientur, quorum aliqua tantum per summa capita indicare sufficiat. Cardinalis Carolus Borromaeus, morte mirabiliter a Deo liberatus, gratias agit Borgiae pro gratulationis litteris, ea occasione sibi datis (806). Collegii foroliviensis nonnulla perturbatio, episcopi aversione orta, notatur, remedia proponuntur (884, 899). In maceratensi gymnasio quorumdam novitiorum cura negligitur, et rectori enixe commendatur (884). Variae rectorum mutationes in collegiis provinciae romanae fiunt (891, 899, 905, 909, 913, 915, 916). Plura de collegio lauretano habentur in variis epistolis (913, 915-919, 927, 931, 932, 937). Scaenica actio de martyrio Stae. Catharinae, Romae exhibita, postea in collegio panormitano ansam praebet offensioni cujusdam quaesitoris fidei; sed res Borgiae prudentia componitur; et quaesitor fidei, placatus tandem, actioni eidem adest (792, 800). Collegium poenitentiariae, jussu pontificis circa Vaticanum instituitur, et Societatis praeposito generali ejusdem cura committitur (855, 863).

b) Hispaniae etiam assistentiae magna historicarum segetum copia in hoc volumine subministratur. Ac primo loco provincia Castellae egregium illum vitae spiritualis magistrum, Balthasarem Alvarez, domui probationis methymnensi praepositum, tamquam luminare clarissimum, toti assistentiae hispanicae praefulgentem, exhibet; et sane in novitiis Societatis ad genuinum vocationis nostrae spiritum informandis parem illi non invenimus; et jure in variis epistolis tanti viri laudes celebrantur (695, 698, 715, 808). Alterum summae prudentiae et eximiae sanctitatis vi-

rum eodem tempore protulit provincia Castellae, Joannem scilicet Suarium, qui, cum burgensi collegio praeesset, a Borgia ad provinciam baeticam visitandam mandatus (731, 732), praestantissimam illi provinciae operam contulit, ut in ejusdem epistolis, infra recensendis, videbitur.

Cardinalis Didacus de Espinosa, episcopus seguntinus, et regii senatus praeses, cernens uberes fructus in adolescentium institutione per Societatem in toto Hispaniae regno collectos, noluit tanto proventu carere suam dioecesim, litterasque Borgiae dedit, quibus, suum desiderium ei pandens, inceptum jam aedificium, re cum provinciae moderatore collata, aliaque, ad id opus perficiendum opportuna, se providisse, nuntiat. Cui Borgia gratas prorsus et obsequentes litteras dedit, remque totam praeposito provinciali commisit (741, 748). Eodem fere tempore senatui septimancensi scripsit Borgia inchoatum ea in civitate collegium, ex congregationis generalis placito, claudendum fore; non tamen Societatem unquam oblivioni daturam spondet benevolentiam, ab illis civibus semper sibi attestatam, operariosque suos libentissime Septimancas missuram quoties ab iisdem expeterentur (757).

Dum autem septimancense cum aliis exiguae dotationis collegiolis claudebatur, burgensi fausta e sepulchro resurrectio nuntiabatur. Nam comes stabilis, Eneco Fernández de Velasco, videns quam injuste opulenta illa fundatione, nonnullorum aemulorum invidia, spoliata fuerat Societas, re cum provinciae moderatore, P. Aegidio González Dávila, collata, donationem suam renovavit, conditiones, institutionibus Societatis omnino conformes, apposuit, et anno 1571 instrumentum donationis Romam jussu Borgiae missum est, ut a pontifice probaretur (994).

Aliunde optima probationis domus in oppido Villagarciae a piissima et nobili matrona, Magdalena de Ulloa, adornabatur, in qua castellana provincia paulo post omnibus Societatis provinciis perfectae domus probationis, sub perfecti et sanctimonia insignis viri regimine, exemplar exhiberet. Die 7 Martii anni 1572 faustum initi possessus nuntium P. Balthasar Alvarez Borgiae referebat (1004). Sub tanti viri magisterio clarissimis religiosae perfectionis radiis enituit nobilis ille tiro Antonius de Padilla, cujus

miram ad Societatem vocationem enarrat ejusdem genitrix, Maria de Acuña, soror comitis de Buendía, et Societatis tam studiosa, ut illi, non solum filium, sibi carissimum, sed etiam suam rem familiarem, ad templum et domum Vallisoleti erigenda, erogare cuperet (1002).

Hoc etiam tempore sumpsit exordium collegii legionensis in eadem provincia institutio, cujus intrumentum a Borgia approbatum fuit eo tempore, quo in Hispania cum cardinali Alexandrino, legato pontificis, versabatur (988, 993).

Aragoniae quoque provincia suam historiam hisce Borgianis epistolis ditare poterit; plures enim magni ponderis proferuntur, tum a P. Josepho de Ayala, collegii barcinonensis rectore, tum ab episcopo et aliis nobilissimis viris datae, quae, dum tempestatem, contra Societatem a prorege Catalauniae, alioqui Societatis amico, non tam odio, quam imprudentia suscitatam, fuse enarrant, totius etiam civitatis et regni erga nostrates amorem et existimationem mirifice auctam ostendunt, suavi, scilicet, Dei providentia in Societatis bonum convertente insectationem illius proceris, quae in nostratum damnum cessura timebatur. Inde enim factum est, ut et primarius ecclesiae cathedralis suggestus, nunquam antea Societati oblatus, eo tempore eidem offerretur. Scholae collegii augentur. Regis pingues eleemosynae Societati obveniunt. Nobilis Maria Manrique de Lara, dum modeste honores fundatorum recusat, collegium barcinonense opulenta dotatione auget (699, 714, 720, 754, 775, 784, 791, 803, 805, 848, 850, 853, 857, 860).

Non minus prospere res Societatis Valentiae cedebant; non solum etenim totius regni metropolis, sed alia plura oppida, nostratum conciones aliaque sacra munera expetebant. Fructus ubique uberrimi in peccatorum extirpatione, in sacramentorum frequentia, in juventutis ad pietatem et litteras institutione, in dissidiorum compositione et inimicorum reconciliatione a nostris operariis colligebantur (709, 712, 744, 762, 831, 851). Nihil de collegio gandiensi et domo probationis hic addendum est, cum de his supra, ubi de familia Borgiana diximus, satis superque actum fuerit.

Provinciae Toletanae laus est illa sanctitatis officina, ex qua, inter alios virtute praeclaros viros, prodiit egregius martyr Christi Alphonsus Pachecus, consanguineus conditoris domus probationis villaregiensis, Joannis Pacheci. En quibus verbis pius hic vir laudes illius tirocinii Borgiae propria manu scribebat: «Si no entendiese que V. P. tiene muy particular noticia de las cosas desta su casa de probación, de lo de la puerta adentro, que es un retrato del paraíso, y de lo de fuera, que es poner en este lugar y en los comarcanos delante de los ojos el proceder de los apóstoles y discípulos de Cristo nuestro señor, como yo supiera, tratara aquí dello con todo el agrauio que recibiera, siendo yo el relator (733).»

Pluribus id tempus collegiis aucta est provincia toletana, quorum primum fuit illud, quod ducis Feriae rogatu, et Christophoro Rodericio de Moya fundatore, in oppido Segura de la Sierra inceptum est (735, 749, 872). Novae quoque aedes Toleti acquisitae, eae videlicet, in quibus ortus tradebatur Stus. Ildephonsus, archiepiscopus illius ecclesiae, quibus nomen sanctissimi praesulis impositum fuisse probat Borgia; prudentiam tamen nostratibus commendat, ne alii religiosi ordines, praesertim vero Patres praedicatores, offensionem accipere possint (793); quod tamen vitari non potuit, lisque cum hisce Patribus exorta est, quae tandem, Pio V ad superos evolante, in Societatis favorem resoluta fuit (793, 964, 989, 995, 1003, 1016).

Murciae autem collegium tam laetos illi civitati fructus proferebat, ut episcopus carthaginensis, Arias González Gallego, illud augere novis reditibus statuerit, facultatesque superiores in eo a Societate doceri postulaverit (1020).

Baeticae provinciae statum florentem simul et defectus in eam obrepentes supra laudatus Joannes Suarius accuratissime describit. Cum enim eam provinciam Borgiae mandato inspiciendam suscepisset, tanta diligentia tamque prudenti judicio eo munere perfunctus est, quam in variis epistolis, de unoquoque collegio et de tota simul provincia Borgiae datis, conspicitur (843, 862, 865, 869, 874, 887, 889, 920).

Collegii malacitani primordia in quadam epistola episcopi il-

lius dioecesis, Francisci Blanco, Borgiae data, litteris consignantur. Qui, cum tenero Societatem nostram amore prosequeretur, et P. Christophorum Rodericium, ad illam urbem cum classe hispanica advenientem, congressus fuisset, de Societatis collegio ibidem instituendo egit, et media ad rem exsequendam Borgiae per Rodericium proponenda curavit (772).

De granatensi bello contra mauriscos perduelles annis 1569-1570 ab hispanis copiis sustentato, nonnulla in hoc volumine proferuntur monumenta, in quibus et mauriscorum contra christianos effera rabies crudelitasque nefanda vivis coloribus depinguntur, et nobilium quorumdam hispanorum praeclara facinora contra hostes nominis christiani patrata, et aliorum gloriosa mors, pro patria et pro religione perpessa, enarrantur. Militibus nostris suppetias tulerunt e nostra Societate sacerdotes tres, Petrus Navarrus, Jacobus Sanctacrucius et Petrus Muñozius, quibus duo fratres adjuncti sunt (706, 740).

De collegio montuliensi, praeter ea, quae P. Suarius post illius inspectionem Borgiae retulit (843, 862), habemus litteras rectoris ejusdem collegii, P. Joannis de Vergara, quibus et suae professionis, et Magistri Joannis de Avila pii decessus, nuntios praebet. Notatu autem digna est hujus sanctissimi viri erga nostram Societatem benevolentia; quamvis enim et marchionissa de Priego et alii plures eum enixe rogarent, ut in templo Stae. Clarae exuvias suas tumulari vellet, ille constanter in templo Societatis sepultura donari poposcit (743).

Collegii cordubensis laudes, tum cardinalis Espinosae, tum regis Hispaniae ore prolatas, superius audivimus. Multa alia de eodem collegio in epistolis Suarii, comitis lermensis, episcopi cordubensis et aliorum, invenientur (852, 856, 858, 859, 869, 871). Caeterorum denique provinciae baeticae collegiorum status ex Suarii litteris, supra notatis, et ex Borgiae epistola, post illius lustrationem P. Joanni de Cañas data, eruitur (865, 874, 887, 912, 920).

In eadem provincia beatam mortem obiit anno 1570 P. Bartholomaeus Bustamantius, cujus praeclara solidae virtutis exempla a P. Cavallar in binis epistolis, Borgiae datis, recensentur

(881, 890). Nec silentio praetermittendae sunt ejusdem Bustamantii ad eumdem litterae, in quibus, praeter alia, moderatores collegiorum et provinciarum carpit, qui collegiorum fabricam, inconsultis peritis architectis, suo marte delineant; unde fit ut errata non pauca nec parvi momenti in aedificiorum constructione deprehendantur. Hac occasione, multum temporis architecturae studiis quondam se tribuisse Bustamantius fatetur (872).

c) Lusitanae assistentiae et sacrarum expeditionum, ad eam spectantium, prosperum statum in hisce Borgianis epistolis frequenter attestatum reperimus. Ac primo quidem quantum in Aethiopia et in India orientali pro gloria Dei amplificanda lusitanae provinciae operarii insudaverint, patefaciunt priores hujus libri epistolae (691-694). Patris Gundisalvi Alvarez, Indiae orientalis inspectoris, judicio committit Borgia ex summi pontificis mandato statuere, an patriarcha Aethiopiae hac in regione manere, an ad Japoniam transmigrare debeat; et gratias, olim Societati pro sacris expeditionibus a pontifice concessas, pro Aethiopia confirmari impetrat. Cum autem goanum collegium non omnino ad normam institutionum nostrarum administraretur, aptum eidem moderatorem provideri jubet (691, 693). Melchiori Nunnio, collegii cocinensis rectori, qui cum Patribus Quadrio et Rodericio primae synodi provinciali Goae interfuerat, litteras dat Borgia, spem fovens decreta illius synodi, ad ethnicos Christo lucrifaciendos, et christianos in fide catholica conservandos, profutura. Dubia insuper, nomine illius synodi sibi transmissa, per summum pontificem solvenda curavit (694).

Interea P. Ignatius Azevedius, cujus praeclara gesta in Brasiliae provincia ordinanda superius [6] litteris mandata vidimus, ad Lusitaniam reversus, adventum suum Borgiae nuntiat, qui ejusdem felici navigatione laetatus, eum iter in Italiam differre jubet (703). Azevedius, dum tempus opportunum Romam eundi in Lusitania exspectat, praecipuos illius provinciae Patres circa rationem in novitiis instituendis tenendam, aptosque operarios in posterum praeparandos, consulit, et media ad id excogitata Bor-

---

[6] Vide supra, vol. IV, epist. 341, 411 et 591.

giae proponit (705). Jamque inde profecturus, has et alias de rebus Brasiliae litteras ad praepositum generalem praemittit (710).

Vergente mense Majo anni 1569, Romam petit, ubi amantissime a Borgia exceptus, sapientibus instructionibus ad Brasiliae provinciam recte gubernandam munitur, quae in Borgianis regestis exstant; et, antequam Roma discederet, die 4 Julii litteras, provincialibus Hispaniae exhibendas, a Borgia accipit, quibus facultas adsciscendi sibi socios, ad Brasiliam secum profecturos, eidem conceditur. In Lusitaniam, mense Septembri ad finem declinante, pervenit, multis stipatus sociis, in Aragonia et Castella sibi concessis (753, 771), Conimbricam advolat, ubi provinciae praepositum, Leonem Henricium, congreditur; inde Almeirinum, ubi regem alloquitur, eique litteras summi pontificis et Borgiae tradit, quibus ille mirifice delectatus est (771). Laudat Azevedius regis Sebastiani dotes et munera, eidem a Deo collata; matrimonii, cum filia imperatoris prius, et deinde cum sorore regis Galliae, ineundi, et tandem cum neutra initi, vicissitudines enarrat; difficultates sibi ortas in expeditione ad Brasiliam adornanda, ob saevam luem totam regionem devastantem, describit; informationes, sapientia et charitate mirabiles, Borgiae praebet circa accusationes, contra quosdam Patres in vulgus sparsas, occasione eorumdem operae in regis aula praestitae (771, 773, 774). Lucem majorem hisce negotiis curiae regis afferre poterunt litterae Borgiae, P. Turriano 8 Julii 1569 datae, ubi prudentissima monita circa rationem tenendam in negotiis cum rege tractandis conferuntur (738). Tandem, paulo antequam Azevedius ad Brasiliam solveret, Borgiae valedicit, eumque ut sibi et sociis bene precari velit, rogat (876). Paulo post P. Joseph de Anchieta, labores ac difficultates provinciae Brasiliae Borgiae referens, desiderium carissimi parentis Azevedii pandit, sibique eum quamprimum restitui exoptat (888). Aliter tamen Deo de Azevedio ejusque gloriosa legione statuere placuit; nam, martyrum coronas et palmas in media navigatione adepti, non defunctorum solitis suffragiis juvandi, sed laudibus et precibus, caelitibus debitis, honorandi et invocandi visi sunt (934 bis).

Alia de provincia Lusitaniae in hoc volumine divulgantur,

quae singillatim notare non vacat, sed breviter indicare sufficiat. De templi olisiponensis Sti. Rochi fabrica et de variis circa eam sententiis litterae exstant, Turriano et Consalvio datae (755, 756). De itinere, a Borgia in Lusitaniam, jussu Pii V suscepto, plura habentur in epistolis annorum 1571-1572 (954, 987, 989, 990). De nuptiis regis Lusitaniae cum regis Galliae sorore procurandis, praeter dicta superius, alia in aliis litteris consignantur (840 bis, 996-998, 1005). Et haec quidem de assistentia Lusitaniae.

d) Septentrionalis assistentiae provinciae, praesertim duae ad Galliam pertinentes, pluribus in hoc volumine monumentis illustrantur. Caeterae autem, scilicet, Germaniae, Austriae et Flandriae, uti alias diximus, Borgiana acta ad ipsas spectantia in tertio volumine *Epistolarum Patris Nadal* digesta in hisce Monumentis habent. Pauca de illis in hoc libro proferuntur.

Binis provinciis Gallia sub Borgia constabat: Franciae, scilicet, et Aquitaniae; quae quidem cum a P. Hieronymo Natali, ob bellorum et publicarum perturbationum difficultates, non nisi obiter lustrari potuissent, missus est ad eas rite invisendas P. Everardus Mercurianus, qui Roma die 11 Maji anni 1569 cum P. Possevino, rectore avenionensi, Galliam versus profectus est (723). Paulo antea missi fuerant ad Galliam cum copiis, a pontifice contra hugonottos mandatis, tres sacerdotes: Curtius Amodaeus, Rodulphus Florius et Franciscus a Sto. Germano, cum duobus laicis, Laelio Sanguineo et Mario Gentili (716, 718). Dumque milites contra hostes religionis et patriae pugnabant, nostrates arma sacrae militiae exserebant, precibusque, in tota Societate pro eis fusis, et sacris litatis, eos juvabant. En verba Borgiae, ad nuntium victoriae ab exercitu catholico obtentae, Mercuriano scripta: «No estoy arrepentido de las mil missas que hize dezir por Francia un mes antes de la vitoria, de la qual acabó oy S. S. las processiones in gratiarum actionem. ¡Bendito sea el Señor, que así a consolado vniuersalmente á su iglesia! Por V. R. tanbién me gozo, porque podrá hazer su visita con mayor seguridad y alegría (785).»

Socium in collegiorum inspectione P. Augerium Borgia Mer-

curiano assignavit, sperans hac occasione illum e castris se educturum (737); sed cum ille a regis fratre e castris abesse non sineretur, alius postea socius Mercuriano propositus est Possevinus, rem nihilominus arbitrio ejusdem inspectoris relinquendo (745). Cumque Augerius ab onere provinciae aquitanae regundae liberari enixe flagitaret, id eidem concedendum Borgia censuit, et eum Romam ad tempus venire procuravit (903, 914, 921, 922, 925).

Ingenti et hominum et pecuniae inopia provinciae Galliae eo tempore premebantur (751, 759, 813, 886); ideoque frequenter a Borgia novis magistrorum et operariorum subsidiis sublevabantur (750, 759, 769, 782, 785, 797); nec tamen ideo externos paedagogos in nostris collegiis admittendos ille existimabat (759); quamvis in convictoriis id tolerari posse, et in germanico, Romae constituto, idem propediem exequendum fateretur (759). Aliud ad juvamen illarum provinciarum remedium excogitat Borgia, et Mercuriano commendat: ut nempe seminaria pro accurata nostrorum scholasticorum institutione disponantur, in quibus magistri, jam multis annis scholas collegiorum regentes, quiescerent, et ad ordines sacros per studia philosophiae et theologiae praepararentur (745, 886, 941); et hac de re Mercuriano die 14 Augusti 1570 haec Borgia referebat: «Quanto al cominciar li seminarii di theologia o philosophia, levando quelli delle classi che si han in quelle alla lunga affaticato, è cosa ragionevole; ma quanto alla pratica bisognerà finalmente fare quello che si può (903).»

Studiorum etiam ratio in Gallia ordinanda Borgiae visa est; et idcirco die 24 Octobris anno 1569 studiorum ordo ad provincias Galliae mittitur, et in praxim adduci jubetur, cura hujus rei Mercuriano demandata; nec tamen magistri nostri difficultates suas, in praxi occurrentes, exponere et exsecutionem differre donec Borgiae responsio habeatur, prohibentur (785). Urgetur quoque usus linguae latinae, demptis temporibus relaxationi animi destinatis (828). Librorum prohibitorum lectio, quae tantam aliquibus scholasticis in Germania perniciem attulit, ad normam litterarum apostolicarum *in Coena Domini* a nostratibus vitanda

prorsus dicitur, et nonnullorum interpretatio nimis laxa, quae illam prohibitionem nostros concionatores non respicere asserebat, omnino rejicitur (745).

Nihil tam cordi habuit Borgia quam regularum et constitutionum nostrarum perfectam observantiam; cumque Mercurianus in sua Galliae lustratione eum consuleret circa nonnullarum regularum intelligentiam, quas aliqui non recte interpretabantur, et an expedire judicaret hac de re provinciarum et collegiorum moderatores examinare sciscitaretur, affirmative respondit Borgia (751). Hac de causa officii moneri voluit rectorem parisiensis gymnasii, si quid in eo, quod singulare videretur, animadverteret Mercurianus: «Adverta etiam V. R. se c' è qualche cosa nel superior del collegio de Parigi quanto al modo di trattare sua persona, o non ricusare il trattamento particolare che li sia offerto, che ricerchi alcuna moderatione (750).»

Rectorum et provincialium mutationes, sub Mercuriani inspectionem factae, in maxima parte litterarum hujus temporis recensentur. Et de provincialibus quidem, rebus hinc inde perpensis, ad extremum proponit Mercurianus P. Annibalem Codretum provinciae Franciae, Claudium Matthaeum aquitanae, praeficiendos (934).

Alia tandem multa de hisce provinciis in hoc libro continentur, quorum praecipua hic paucis indicare non abs re erit. Preces in tota Societate jussu Borgiae pro Gallia coram Deo fusae (769, 770). Oppido Aureliaci ab haereticis capto, anxium se Borgia de inspectoris salute praebet (785). Cumque pecuniae ad stipendia militum italorum non suppeterent, procurat ille per pontificis thesaurarium ea subrogari (828). Tractatus, id tempus, ab Augerio de sacramentis ecclesiae scripti, censurae subjiciuntur (836). Rei pecuniariae inspectio Mercuriano commendatur, eaque per P. Pontium Cogordanum ordinari posse videtur (854). Nuntii apostolici, Fabii Myrti, pro Societate et pro re catholica in Gallia officia commemorantur (923). Comitia procuratorum et provinciales coetus, iisdem praemittendi, nuntiantur (925). Et haec de Galliae provinciis generatim. Jam aliqua de singulis collegiis attingamus.

Quatuor collegia provincia Franciae et sex Aquitania numerabat. Parisiense, billomense, mauriacense et virdunense ad illam; avenionense, camberiense, lugdunense, rutenense, tolosanum et turnonense ad hanc pertinebant.

Parisiis Maldonatus Societatis primordia sapientiae eximiae splendore illustrabat, cum ad tempus cathedram relinquere, affecta valetudine, compellitur, eique successor Mariana assignatur (747, 782). Prima die Octobris anni 1570, praesente Mercuriano, votorum renovatio magna omnium laetitia celebratur; et eadem die studiorum instauratio habetur, et rhetorices magister orationem, eloquentia, eruditione ac pietate praestantem, ad confertam multitudinem magistrorum et scholasticorum dicit. Maldonatus jam suae cathedrae redditus, ingentem discipulorum concursum, ad suas lectiones confluentium, miratur, quos inter quadam die sedere voluit cardinalis Lotharingiae, Carolus Guisius, qui collegio amplificando suis subsidiis adjuturum se promittit (923).

Billomense collegium, magna scholasticorum frequentia floret, sed subsidiorum ad magistros alendos, ut alia collegia, inopia laborat. Cumque studiorum praefecto careret, a Borgia illum mittendum, nisi aliter Mercurianus provideat, scribitur (828, 880, 903, 921).

Mauriacensis gymnasii dotatio, aedificium extruendum, et alia, a Mercuriano Borgiae proposita, cum hujus responsione litteris mandantur (785). Superioris autem vel rectoris nominatio ad Mercurianum, qui provincialem consulere jubetur, defertur (785). Ob bellicos timores inceptum collegium nostrates deserere coacti, precibus a Borgia juvantur (813); qui tandem eos ad suas aedes ex billomensi collegio remigrare potuisse laetatur (838).

Virdunenses socii etiam e domo cedere coacti sunt propter saevientis contagionis pericula (769). Antequam vero magistri Virdunum ad scholas instaurandas redeant, censet eorum rector, P. Andreas Avantianus, cum episcopo agendum de situ aptiori collegio providendo, idque per Oliverium Manareum commodius curari posse censet Borgia (759). Hac occasione arrepta, rectorem mutandum existimat, eo quod ille antistiti minus gratus esse

videretur (769). Antequam autem cum episcopo de collegio melius instituendo ageretur, rem mature considerandam Mercuriano Borgia scribit, eo quod spes certa amplioris collegii in urbe metensi affulgeret, quod quidem virdunensi praeferendum existimabat (785). Postea, rotomagensis collegii institutione et opulenta dotatione, a cardinali Borbonio oblata, hoc caeteris anteponendum Borgia arbitratus est (828). Nihilo secius virdunensis praesul, nostrates Parisiis congressus, absentiam Societatis sibi et communitati virdunensi gravem prorsus contigisse fassus, commodiorem illius collegii fundationem reddere promittit, contractum renovare cupit, formulam novam proponit, eamque ad nutum Societatis emendari sinit (923).

Avenione nostratibus praeerat P. Antonius Possevinus, qui, quamvis egregie suo munere fungeretur, foeda procella a plebecula contra eum suscitata, ab ea urbe discedere compulsus est (737). Ejus innocentiae conscius Borgia, dolet urbis avenionensis capita illius defensionem frigide nimis suscepisse; nihilominus, dum ille apud summum pontificem Possevinum defendit, avenionenses excusare nititur (751). Summus autem pontifex, rerum veritate perspecta, et Possevini innocentia cognita, hunc apud regem Galliae per cardinales Lotharingium et Borbonium defendi curavit, litterasque ad nuntium suum dedit, ut in tota regis curia Possevini probitas et innocentia innotesceret; quae dum Borgia Mercuriano nuntiat, gaudet etiam avenionenses, prius in Possevino vindicando desides, tandem falsas et calumniosas accusationes in illum sparsas agnovisse (759). Eum tamen ad illam urbem non denuo mittendum censet (870). Illi interea collegio P. Ludovicus Codretus praeficitur, qui, cum nimis illud hominibus inutilibus gravatum et inopia oppressum inveniret, remedium a Borgia postulavit. Hic vero Mercuriano statim hac de re litteras dedit, ei simul commendans, ut videat an expediat tributum reliquis collegiis imponere, quo novitii avenionenses sine tanto collegii gravamine sustentari possent (816). Illi tirocinio P. Benedictus Nigrius praeficitur, eique socius P. Petrus Pequettus adjungitur (941).

Frequens item mentio collegii camberiensis in hisce litteris

recurrit. Ac primo quidem loco illud a Mercuriano, in Galliam eunte, invisitur, ejusque status atris Borgiae coloribus depingitur: locus ubi exstat incommodus, valetudo nostratum adversa, dotatio exigua, magistri et moderatores frequenter mutandi. Unde hisce et aliis incommodis diligenti cura per Mercurianum remedium applicari Borgia jubet (742, 745, 760, 769, 813, 870).

Lugduni nostrates bene ad normam nostrarum institutionum laborabant; sed cantum in sacra catechesi et in aliis templi officiis nimis facile induxerant, qua de re a Borgia per inspectorem monentur; sed postea saltem in vesperarum officio cantus tolerari, et litaniae etiam in templo decantari posse Borgiae visae sunt, dummodo haec praxis cum animarum proventu servari posset (759, 785, 886). Mercuriano item considerandum relinquitur num fundationis collegii conditiones acceptandae videantur (728, 751). Postquam autem socios lugdunenses Mercurianus invisit, litteras Borgiae laetas dedit, quibus haec Borgia respondit: «Ci siamo rallegrati in Domino che restassi V. R. contento de la visita personale del collegio di Lione (759).»

Non ita laeti nuntii de turnonensi gymnasio Romam perferebantur. Studia litterarum collapsa, vel saltem languentia, restaurare Borgia per Mercurianum nititur, et ad hunc scopum juvare posse existimat, si nonnulli e nostris scholasticis ad gradus academicos promoveantur (742). Aliunde subsidia spiritualia infirma prorsus eo in collegio erant, eo quod, praeter rectorem et ministrum, ne unus quidem sacerdos ibi versabatur; ideoque necesse prorsus autumat Borgia aliquos scholasticos sacris ordinibus initiari (750, 785). Rectorem vero, animo nonnihil decidentem, ad onus regiminis laetanter sustinendum ab inspectore animari praecipit (785), et de statu illius collegii diligenter informari cupit (828).

Penuriam haud modicam tolosanum collegium experiebatur (903); cumque a Mercuriano, ob bellorum discrimina, visitari non potuerit, per Augerium aliquid levaminis suscepit, cujus concionibus aliisque sacris muneribus tolosates, in fide christiana mirifice confirmati, collegio Societatis addictiores evaserunt (828), et,

sacerdotio quodam eidem applicato, illud sublevare conati sunt (921, 922).

Et haec sufficiant de collegiis Galliae Borgiae tempore existentibus, etsi alia plura ex hisce litteris depromi poterunt. De nonnullis aliis, quorum fundatio tunc parabatur, satis superque fore ducimus epistolas recensere, in quibus de eorum erectione procuranda disseritur. De rotomagensi videantur epistolae 785, 813, 828, 903, 908, 921, 922. De metensi, epistolae 785, 828, 923, 938, 941, 945. De burdigalensi, epistolae 759, 785, 813. De pictaviensi, epistolae 870, 880, 908, 922, 923.

In FLANDRIAE provincia duacense collegium certas leges et conditiones ab academia impositas acceptare secundum Societatis constitutiones prohibebatur. Hinc factum est ut archiepiscopus cameracensis et episcopus atrebatensis ad Borgiam confugerent, eumque rogarent ut sociis duacensibus potestatem faceret subeundi illas conditiones, ne illa civitas collegio sibi caro orbaretur (697).

Antuerpiae degebant multi hispani, quibus Patrum Societatis opera utilis admodum ad fidei catholicae conservationem accidebat. Hi rogarunt Borgiam ut ex Hispania sacerdotem illis mandari curaret; idque facile impetrarunt (731). Cum vero P. Didacus de Acosta, duos annos in eorum juvamine collocasset, fructusque suis laboribus minime responderet, causas Borgiae pandit, quarum praecipua erat ducis Albani infensus nostrae Societati animus. Remedia huic malo applicanda proponit, et labefactatam suam valetudinem causatus, in Hispaniam se mitti poscit, ut per regem efficaciora remedia apponi curet (827, 835).

Missus postea est ad illam urbem P. Petrus Trigosus, cujus litterae, 5 Januarii 1571 Borgiae datae, alias easque graves difficultates aperiunt, ob quas Societatis labores ibidem parvum fructum afferebant, et rationem in hisce difficultatibus superandis tenendam proponit (933).

Et hactenus de argumentis epistolarum. Jam ad codicum adhibitorum descriptionem veniamus.

RECENSIO CODICUM

EX QUIBUS MONUMENTA IN HOC VOLUMINE EDITA DEPROMUNTUR [1]

CODICES A NOBIS JAM ALIAS DESCRIPTI

Ex prima serie *Monumentorum S. Ignatii* sequentes usurpati sunt.

Codex 12.—*Instruct. I.* Descriptus in vol. I, pag. 36.

Codex 35.—*Epist. Sanctor.* Descriptus ibid., pagg. 44-45.

Codex 36.—*Epist. cardin.* Descriptus ibid., pag. 45.

Codex 39.—*Epist. communit.* Descriptus ibid., pag. 46.

Ex hac serie, cui titulus *Sanctus Franciscus Borgia.*

Epist. S. Franc. Borgiae.—Descriptus in vol. II, pag. XXVI; et in *Epist. P. Nadal,* I, LXV.

Epist. famil. Borg., alias *Collectio Borgiana.* — Descriptus ibid., pag. XXVI.

Codex 3.—*Epist. princip. (1565-1574).* Descriptus in vol. III, pagg. XXIX-XXX.

Codex 4.—*Epist. episcop. (1564-1599).* Descriptus ibid., pag. XXX.

Codex 1.—*Epist. Hispan. (1567-1569).* Descriptus in vol. IV, pag. XXXI.

Codex 3.—*Epist. B. Ignatii de Acevedo.* Descriptus ibid., pag. XXXII.

Codex 4.—*Epist. episcop. (1560-1570).* Descriptus ibid., pag. XXXII.

Ex *Epist. P. Nadal.*

Codex 28.—*Epistolae Hispaniae.* Descriptus ibid., vol. I, pag. LXII. Hujus collectionis volumina, hic usurpata, sunt sequentia.

Hispan. epist. 1568 B.	*Hispan. epist. 1570* A.
Hispan. epist. 1569 A.	*Hispan. epist. 1570* B.
Hispan. epist. 1569 B.	*Hispan. epist. 1572* A.

Codex 33.—*Regesta epistolarum Roma ad provincias missarum.* Descriptus ibid., vol. I, pagg. LXIII-LXV. Hujus collectionis volumina, hic adhibita, partim descripta partim describenda sunt.

---

[1] Videantur annotationes, quae habentur in *Monum. Ignat. Epist. I,* 27.

Codex 35.—*Epistolae Polanci, Lainez et Borgiae*. Descriptus in vol. II, pag. XVIII.

Ex *Epist. P. Salmer.*

Codex 2.—*Italia (1567-1569)*. Descriptus in vol. II, pagg. XXXII-XXXIII.

Codex 3.—*Italia (1569-1571)*. Descriptus in vol. II, pag. XXXIII.

Codex 4.—*Italia (1571-1573)*. Descriptus ibid., pag. XXXIII.

CODICES HEIC DESCRIBENDI

CODICES SOCIETATIS JESU

Codex 1.

Epist. Hispan. (1570-1573).—Vol. $0^m,280 \times 0^m,212$; compactum; membrana a tergo munitum.

Inscriptio supra membranam a tergo: «Epist. | Hisp. | 1570 | 1573.»

Continet unum fol. non signatum, 186 signata, scripta, et 6 ff. non signata, pura, ad calcem. Primum fol. non sign. hanc tantum habet inscriptionem: «Jhus. Copias de letras que han ydo á España ineunte anno 1570, ad Christi Jesu gloriam, Romae.»

Prout ex inscriptione codicis patet, in eo continentur regesta litterarum Roma ad provincias Hispaniae annis 1570-1573 missarum.

Codex 2.

Epist. episcop. (1570-1575).—Fasciculus $0^m,350 \times 0^m,225$. Est collectio epistolarum servata intra operculum, membrana a tergo contectum.

Inscriptio litteris aureis a tergo operculi: «EPISTOLAE | EPISCOPORUM | AB ANNO 1570 AD 1575.» Paulo inferius haec inscriptio, atramento exarata, habetur: «Epist. Episc. coll. | II | (70-74)».

Foliis 1-272, plumbo signatis, coalescit. Praeterea antiquiores signaturas epistolae exhibent.

Continet epistolas, ut plurimum archetypas, episcoporum, ad Societatem datas, quarum prima est antistitis rhegiensis, 1 Januarii 1570 scripta. Ultima, episcopi marianensis, 5 Decembris 1574 data.

Codex 3.

Diarium Sti. Francisci Borgiae.—Vol. $0^m,162 \times 0^m,112$; membrana compactum.

Inscriptio a tergo litteris aureis excusa: «DIARIUM | S. FRANCISCI | Borgiae».

Foliis 1-305, ex ordine signatis, et manu Borgiae scriptis, paucis demptis, quae vacua remanent, et proprio loco notantur.

Continet annotationes quotidianas de rebus intimis, a Borgia cum Deo in meditatione pertractatis, et varias spiritus exercitationes, quibus ille vacabat. Videantur, quae de hoc codice supra, pag. XI, et infra, ad calcem hujus voluminis, notantur.

Codex 4.

Borgia Loyola.— Fasciculus litterarum 0m,280 × 0m,210; assutus, sed non compositus.

Paginis 1-218, recenter plumbo signatis, coagmentatus, exhibet in variis foliis antiquas signaturas, atramento scriptas. Hunc fasciculum esse partem antiqui codicis aperte eruitur ex indice epistolarum in quatuor foliolis 0m,275 × 0m,100, initio assuti, ubi notantur: 1.° Nonnullae epistolae archetypae, a Borgia vel a Polanco ex illius commissione subscriptae. Haec pars constat foliis 27, olim, dempto ultimo, non signatis; nunc pagg. 1-54.—2.° Litterae annuae, Romae annis 1569 et 1570 scriptae, ff. 1-27 olim; nunc autem pagg. 59-116.—3.° Variae epistolae Borgiae, vel ejus nomine, ad P. Everardum Mercurianum, visitatorem provinciarum Galliae datae, ff. olim 28-60; nunc vero pagg. 117-218. Et hic explicit praesens fasciculus; sed olim sequebantur multae aliae epistolae, ad varia Italiae collegia Roma datae. Incipiebat quondam hic codex a duobus foliis non signatis, ante fol. 1 positis, quorum prius hanc praefert inscriptionem, in pagella, numero 55 hodie signata: «1570 | Tomus p[rimu]s Italiae | T. P.s 1570».

Ex dictis liquet hunc codicem esse primi voluminis regestorum Italiae anni 1570 initium. Ubinam reliqua hujus codicis pars reperiatur, ignoramus. Inter manu scripta Societatis hic codex sub hac signatura positus habetur: «Sección 2.a, serie 2.a, N.° 114». Capsa ubi asservatur hunc praefert titulum: «Siglos 16 y 17. S. Francisco de Borja. P. Polanco. P. Alonso Rodríguez, etc.»

Codex 5.

Toletan. Hist. 1547-1610.—Vol. 0m,325 × 0m,230; compositum et membrana a tergo munitum.

Inscriptio, a tergo atramento, et in fol. 2r plumbo exarata: «Toletan. | Hist. | 1547-1610.»

***

Continet 1-153 monumenta, plumbo recenter signata, ad historiam provinciae toletanae illustrandam admodum utilia; sunt etenim fere omnia epistolae autographae vel archetypae, ad Patres praepositos generales de gravissimis negotiis a provinciarum vel collegiorum moderatoribus et ab aliis praecipuis illius provinciae hominibus datae. Accedunt diplomata, memorialia, instrumenta judicialia et alia magni ponderis scripta. Pertinent ad annos in inscriptione notatos.

CODICES NON SOCIETATIS JESU

CODICES ROMANI

Codex 6.

Litterae Gregorii XIII.—Est codex in Archivo Vaticano servatus, collectionis litterarum Gregorii XIII, P. M., tomus quintus.

Codex 7.

Archivio Borghese, Cod. I, 128.—Vol. 0m,265 × 0m,196; compositum et membrana opertum, in eodem Archivo Vaticano.

Inscriptio a tergo: «I | 128». In secunda facie operculi stilo lapideo: «I. 128» et paulo inferius: «I. I. 2.»

Continet apographa varia, eadem manu transumpta, quae breviter innuere juvat. Foliis 1-25r, diarium legati Stae. Praxedis ad regem Galliae, anno 1507. Fol. 25v-30r, quae sint praeparanda legato, profecturo in aliquam provinciam. Fol. 30v-47, legatio cardinalis Caroli Borromaei, qui mense Augusto anni 1565 creatus fuit in consistorio legatus totius Italiae. Fol. 48-90 habetur Itinerarium cardinalis Alexandrini, a Pio V in Hispaniam, Lusitaniam et Galliam legati, cui socius ab eodem pontifice P. Franciscus Borgia adjunctus est. Nihil aliud in hoc codice continetur. Hujus codicis meminit Hinojosa, *La diplomacia pontificia en España,* pag. 199. Auctor hujus itinerarii fuit Cornelius Firmanus (aliis Termanus), sub Pio V caeremoniarum magister, postea episcopus auximanus.

Codex 8.

CODEX NEAPOLITANUS

Neapoli «Archivio di Stato. Carte Farnesiane, fascio 776».

Codex 9.

CODEX PARMENSIS

Parmae in archivo Status, sub hac signatura reperitur: «Epistolario scelto.—Santi.»

Codex 10.

CODEX MUTINENSIS

In regio archivo Status mutinensi sub hac signatura habetur: «Cancelleria ducale.—Lettere di Santi.»

CODICES SEPTIMANCENSES

Codex 11.

Est fasciculus in «Archivo general del Estado.» Septimancis sub hac signatura asservatus: «Legajo 153.»

Codex 12.

Fasciculus in eodem archivo sub hac signatura custoditus: «Colección de autógrafos.»

Codex 13.

Fasciculus monumentorum, ibidem sub hac signatura positus: «Estado, 914.»

CODEX MATRITENSIS

Codex 14.

Collectanea P. Alvarezii.—In «Archivo histórico nacional» Matriti, «565. b.» Haec collectio tribus tomis coalescit. Hic tantum de 1.° sermo est. Vol. 0m, 237 × 0m,165; membrana ligatum.

Inscriptio a tergo: «Varias | Materias | para la Histo | ria de la | Provincia. | Tomo 1.°» Inferius in charta viridi habetur signatura codicis: «565. b.» In prima facie operculi exterius: «Varios. | Tomo 1.°» Inferius ibidem exstat sigillum Archivi valentini, in quo olim hic codex asservabatur: «Archivo general | de Valencia.» In altera facie operculi interius stilo rubro: «565. b.» Stilo lapideo nigro ibidem: «Jesuitas de Valencia.»

Hic codex paginis 1-1383, ut plurimum scriptis et signatis, coagmentatur. Plura folia non signantur. Alia saepius et ordine praepostero signata habentur.

Continet annotationes, excerpta, catalogos et narrationes de personis et collegiis provinciae Aragoniae, a P. Gabriele Alvarez, historiae ejusdem provinciae scriptore, collecta. Manus variae. Ad saeculum XVI fere omnia haec monumenta historica pertinent. Videantur quae de hoc codice scripsit ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España*, I, XXXVI.

SANCTI FRANCISCI BORGIAE EPISTOLAE

691

INDIAE ORIENTALIS INSPECTORI

ROMA 7 JANUARII 1569 [1].

Nuntios uberiores rerum Indiae exspectat, ut longius rescribere possit.—An patriarcha Aethiopiae ea in regione manere, aut ad Japoniam transmigrare debeat, ejusdem judicio statuendum committit summus pontifex.—Illius gentis necessitatibus idem pontifex subvenire cupit, gratiasque olim Societati concessas confirmat.—P. Quadrii dubiis alibi respondetur.—Collegio goano aptus moderator providendus.—In novis regionibus, quae christianam religionem susceperunt, episcopi constituendi.—Patrum Alcarazii et Ramirii exitium dolet.—Si classis lusitana ad Aethiopiam mittatur, P. Nunnius illuc mandandus.—Nec patriarcha nec episcopus nicaenus nostratibus praeficiendi.

Visitador de la India [2].—Muy Rdo. en X.º Padre. Pax X.[i] Gran deseo tengo de saber de la buena llegada de V. R. á esas partes de la India oriental; y espero en la misericordia del Señor, que le aurá dado estas fiestas y pasquas de su santísimo nascimiento muy alegres con nuestros hermanos de Goa, y que ya de mi parte los aurá todos abraçado in uisceribus charitatis.

Bien ueo que hasta la uenida de las nueuas naos no se puede tener auiso de su llegada. Para entonces aguardo á escriuir muy largo, porque ternemos la relatión de su uiaje y información de las cosas que por allá se aurán començado á uer y negociar. Entre tanto diré algunas cosas que resultan de las letras que an uenido este año que aora salió.

---

[1] Ex regestis *Epist. Hispan. 1567-1569*, fol. 191. Quanam die scripta fuerit haec epistola, in ea tacetur; sed, cum inter litteras diei 7 Januarii hujus anni reperiatur, hac die datam supponimus.

[2] Inspector Indiae orientalis erat P. Gundisalvus Alvares. Supra, IV, 527, 537.

Auiendo ablado á S. S. sobre la salida ó quedada del Rmo. Padre patriarca [3] en la Ethiopía, S. S. lo remite á la prudentia y conciencia [a] del dicho Padre patriarcha, para que en ello haga lo que más juzgare ser para gloria de Dios N. S. [4].

Hásele también apuntado de el soccorro de gente que la Ethiopía tiene tanta necessidad, y conocemos su santo y uiuo deseo de que se remedie; mas, quanto al effecto, no podemos dezir sino que S. S. hará lo que podrá.

Hanos así mesmo otorgado por otros diez años todas las gratias que los summos pontífices passados auían concedido para [las] partes de la[s] Indias de la Compañía, como aquí él por su vivae vocis [b] oraculo [5].

El Padre prouincial Antonio de Quadros ynbía á preguntar algunas dudas, para que aquí se resoluiesen con auctoridad de S. S. A él se responde sobre ellas [c], y á su carta me remicto.

De allá auisan personas de buen juyzio, que en el collegio de Goa ay necessidad de un buen rector, que hincha aquel lugar tan grande y importante. Encomiendo mucho esto á V. R., que terné yo por bien empleado que en esso se occupe persona, aunque sea de lo mejor que por allá aya.

En Punicale y Suchomarcha [d], sería bien procurar que uaya obispo y tome cargo de aquella xpianidad, pues está ya instruída en los principios, etc.; y así también he escripto al prouincial de Portugal que diga á S. A. que mande mirar si conuiene al ma-

---

[a] remicte á la prudentia y confienza *ms.* —[b] el suyo uiuae uocis *ms.* —[c] ellos *ms.* —[d] *Sic* (?).

---

[3] P. Andreas Oviedus.

[4] Videantur litterae P. Oviedi Pio V die 15 Junii 1567 datae, quibus, divino charitatis igne inflammatus, Aethiopiae gentem a se non deserendam judicat; rem tamen summi pontificis voluntati submittit. Has autem litteras habes in opere Patris ALMEIDAE, *Historia Aethiopiae,* lib. IV, cap. XVII; et apud PAËZ, *Historia Aethiopiae,* lib. III, cap. VIII. Utrumque opus edidit et illustravit P. BECCARI, *Rerum Aethiopicarum scriptores occid. inediti,* vol. II-VI. Responsionem autem Pii V, a Borgia heic commemoratam, neque in his auctoribus, neque apud SACCHINUM, *Hist. Soc. J.,* part. III, lib. III, n. 257 et seqq., invenies.

[5] Supra, IV, 690, 696.

yor diuino seruicio que al Giapón uayan obispo y obreros, ultra los de la Compañía; porque auiendo ya tantos xpianos. por tantos reynos esparçidos, y no pudiendo la Compañía proueer de todos los obreros necessarios para uiña tan grande, no quiero tener á mi cargo delante del Señor estorbar que uayan otros trabajadores á su heredad [e], si son en ella necessarios; la qual necessidad S. A. la mandará examinar, y con esto nosotros daremos de nuestra parte lo que pudiéremos, como hasta aquí.

Mucha pena me ha dado la nueua que nos scriuen, de pensar que son perdidos en la nau que yua para la C[h]ina los PP. Alcaraz y Ramírez [6], porque ueo la notable falta que dos tales personas harán en essas partes; y más consuélame conoçer que, si el Señor los ha passado á mejor uida, será para darles á ellos el premio de sus buenos passos, y suplirá de otros, de manera que ellos no hagan falta, aunque lo paresca al principio. V. R. me haga auisar de lo cierto que de ellos ubiere, que hasta aora no tenemos cosa averiguada [f] de su pérdida.

La letra que va para el Padre patriarcha de la Ethiopía [7] uerá V. R., y por ella entenderá algunas cosas, de que es bien que él y el Padre prouincial tengan noticia.

Si acaso S. A. del rey de Portugal embía de armada bastante á la Ethiopía para la reductión etc., como se pide de allá, en tal caso sería bien que fuese el P. Melchior Núñez allá, que fué de acá nombrado por prouincial de la Ethiopía, con algunos otros, como pareciere á V. R., ó al Padre prouincial de la India, en su absencia; y lo que se dize que no sea superior ordinario de los de la Compañía el patriarca, se entienda también del Padre obispo de Nizea [8], aunque á ambos tengan los nuestros toda obseruantia y reuerentia, como es razón.

Por la anual que con estas ua entenderán VV. RR. las cosas de Roma y lo que el Señor por acá se di[g]na obrar.

---

[e] eledad *ms*. —[f] aguelidada *ms*.

---

[6] Supra, IV, 530, 533.

[7] Eam post hanc damus.

[8] Nicaenus antistes erat P. Melchior Carnerius (Carneiro).

692

PATRIARCHAE AETHIOPIAE

ROMA 7 JANUARII 1569 [1].

Litterae patriarchae summo gaudio Borgiam afficiunt.—Egregiam ejusdem erga oves eidem commissas charitatem extollit.—Epistola Oviedi, ad summum pontificem data, amissa est; ex litteris tamen Borgiae missis, summus pontifex certior fit de rebus a patriarcha scriptis.—Ad lacrymas usque permotus pontifex, patriarchae prudentiae et charitati abire vel remanere in Aethiopia permittit.—Episcopus nicaenus ad Indiam et Japoniam transmittere statuit.—Quid agendum, si patriarcha in Aethiopia maneat, quid si inde discedat, a Borgia decernitur.

Patriarca de Ethiopía [2].—Rmo. en Xpo. Padre. Pax X.[i] Con las cartas reçibidas de V. P., de 28 de Mayo y 22 de Junio del año 1567, ha reçibido mi alma sentimiento de diuersos affectos: por una parte me han causado pena los trabajos, soledad y afflictiones, con que Dios N. S. ha permitido que sean uisitados los pocos [a] que andan de la Compañía con V. P. en ese uoluntario destierro; por otra parte, superabundo gaudio [3], uiendo las consolationes que el mesmo Señor comunica en medio de las tribulationes, y que secundum multitudinem dolorum, consolationes Dei letificant animas uestras [4]. Anímame el buen ánimo que ueo en V. P. y en los compañeros que tiene consigo; alégrame el zelo con que, no solamente se offreçe á quedar en esse destierro y desolatión, por el bien y consolatión de esas poquitas [b] ouejas que ha ganado para Xpo., su eterno pastor, pero aun ruega y haze instancia para que le sea lícita la quedada [5]. ¡O Padre Rmo.! y cómo se trasluze acá la diuina luz que allá illustra sus corazones, pues de lo que redunda de su uoz nos alcança aquí nuestra parte. Alaben al Señor sus ángeles, y bendíga[n]lo todas sus criaturas, por las misericordias que sabe y quiere hazer adonde el

---

[a] pochos *hic et infra ms.* —[b] pochitas *ms.*

---

[1] Ex regestis *Epist. Hispan. 1567-1569*, fol. 192.

[2] P. Andreas Oviedus.

[3] II Cor., VII, 4.

[4] «Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuae laetificaverunt animam meam.» Ps. XCIII, 19.

[5] Vide epist. praecedentem, annot. 4.

ciego mundo se da á entender que no ay sino miserias. ¡Quán [c] mejores ojos tienen los que ueen lo que uee V. P.! pues salir de esa Ethiopía, donde ay tantos trabajos, le parece [d] tinieblas, y estar en medio dellos lo tiene por claridad y regalo, conociendo el seruitio que se haze en ello á Dios N. S.

Aunque las letras de V. P. para S. S., las quales me escriue que ynbía, no han uenido á Roma, y esto nos ha hecho harta falta, todauía con la relatión que en las nuestras uiene, hemos acudido á S. S. y díchole cómo V. P. juzga que es menester tiempo y patientia, para que esa gente, tan abituada y criada en sus errores, uenga á entender la uerdad de la cathólica doctrina, y obediencia debida á la santa y[g]lesia romana; y le emos dado á entender á S. S. las grandes difficultades y peligros que ay en atrauesar [e] sin armada el océano desde la Ethiopía á la India, por los turcos y enemigos que tienen el mar occupado, y le emos dicho que, como se han conuertidos algunos, y la speranza que ay tan probable de que, siendo soccorridos con la gente y armada, como de allá se scriue aquí, essas tierras reciuirían la obediencia y religión cathólica. Todo lo ha oydo S. S. como uerdadero y santo padre, y desea el remedio, y en lo que en él fuere, sabemos que no faltará. Enternecióse [f] con lágrimas de sentimiento interior, viendo [g] que, porque no queden desamparados esos pocos cathólicos nueuamente uenidos á la yglesia, V. P. desea quedarse con ellos ó sacarlos todos consigo. Respondió que esto todo lo dexa y remitte á la prudentia, discretión y buena consciencia de V. P., para que, mirando lo que juzgará ser á mayor gloria de Dios N. S., eso haga, saliendo ó quedando, ó como mejor in Domino le pareciere.

No escriue S. S. particularmente, así por no ser llegadas á sus manos las cartas de V. P., como porque se remitte á lo que yo escriuo.

El Padre obispo de Nicea [6], como V. P. ya sabrá, acordó de

---

[c] quantos *ms.* —[d] pareiese *ms.* —[e] atreuesar *ms.* —[f] intermitióse *ms.* —[g] llendo *ms.*

---

[6] P. Melchior Carnerius (Carneiro).

yr el año passado á la China y Japón, conforme á las primeras letras apostólicas, no auiendo uisto el 2.° breue que le fué, en que lo dexaua S. S. á su libre electión, como aora haze á V. P., mas speramos en el Señor que sacará gran fructo de su yda.

Quedando V. P. en la Ethiopía, quedarán en su compañía el P. Emanuel Fernández y los demás [7]; y si uuiesen de salir della, salgan todos, lleuándose los cathólicos consigo á la India, y en caso que no quisiesen ó no pudiesen salir los cathólicos, queden dos de nuestros sacerdotes y un hermano, á electión del visitador ó prouincial de la India; y el mesmo prouincial de la India sea siempre superior ordinario de los Padres y hermanos que en la Ethiopía estuuieren de la Compañía, aunque á V. P. le ternán todos la obseruantia y reuerentia que se deue á su persona y di[g]nidad.

Padre Rmo. y charíssimo en el Señor, encomiéndome ex animo en las oraciones y sacrificios de V. P. y de todos los que están en su compañía. De Roma 7 de Enero 1569.

693

EPISCOPO NICAENO

ROMA 7 JANUARII 1569 [1].

Quo liberius ad regiones, ubi melius divinam gloriam promovere queat, se conferat, eum de revocatione litterarum summi pontificis, quibus ad Sinas et Japoniam ire jubebatur, certiorem facit.—Similem facultatem patriarchae collatam fuisse nuntiat.—De rectore collegii goani eligendo.

Obispo de Nizea [2].—Rmo. en Xpo. Padre. Las más frescas [a] letras que tenemos de V. P. son de Deziembre 66, y de Nouiembre 67, ambas de Malacha, pero de camino para la China y Giapón, por auerle pareçido que la consciencia le obligaua á yr, por auer uisto la obediencia de S. S. Quanto á la obbligación, por esta

[a] freschas *ms.*

[7] Eadem die 7 Januarii Borgia P. Emmanueli Fernández scripsit, brevius iterans, quae in hac epistola circa mansionem in Aethiopia vel profectionem ad Indiam continentur. Ex codice citato, fol. 192v.

[1] Ex regestis *Epist. Hispan. 1567-1569*, fol. 192v-193r.

[2] Episcopus nicaenus erat P. Melchior Carnerius (Carneiro).

parte ninguna ay, pues ya S. S. por su breue reuocó aquella obediencia, y dexó á V. P. para que libremente hiziese en su stada ó yda lo que más entendiese conuenir á gloria de Dios N. S.; y attento á esto, quando se allase V. P. con meno[s] salud en las partes donde estará del Giapón etc., y esperáse tenerla mejor en Malacha ó los Maluchos etc., stará en su mano boluer; y finalmente seguirá en todo lo que el Señor le dará á entender ser á mayor servicio de su diuina magestad.

La mesma libertad da S. S. al Rmo. patriarcha de la Ethiopía, para estar ó salir de ella, como mejor le pareçiere para el diuino seruitio [3].

Al P. Gonzálo Áluarez, visitador de la India, scriuo [4] que procure tener en Goa un rector, persona importante y apta para el peso de aquel collegio.

Scriuiera á V. P. muchas cosas de por acá, pero, como uan las anuales, así de Roma, como de las otras prouincias, conténtome de que por ellas V. P. entienda las misericordias que el Señor, por su pura bondad, usa con toda esa mínima Compañía, que en su conseruatión y aumento muestra quán particular protectión tiene de toda ella.

Encomiéndome en las oraciones y sacrificios de V. P. De Roma 7 de Enero 1569.

694

PATRI MELCHIORI NUNNIO

ROMA 7 JANUARII 1569 [1].

Patris Melchioris operam, synodo provinciali collatam, utilem ad lucra animarum fore sperat.—Decreta synodi a Borgia nondum accepta.—Subsidia ad Aethiopiam mitti, tum summus pontifex, tum Borgia, vehementer exoptant; sed in eorum potestate id exsequi non est.—Si rex Lusitaniae classem ad Aethiopiam mittat, P. Melchior cum sociis ad illam regionem transeat.—P. Joannes Bta. romanus, cum in Urbe valde sit necessarius, ad Indiam mitti non potest.—Ad dubia proposita respondet.

Melchior Núñez, Cochín, rector.—Muy Rdo. en Xpo. Padre.

---

[3] Vide epist. praecedentem.

[4] Vide epist. 691.

[1] Ex regest. *Epist. Hispan. 1567-1569*, fol. 193r.

Pax X.[1] Pocos días menos de un año son passados, después que V. R. scriuió en Cochín la carta á que hora respondemos, pues fué en Enero del 68. Por ella ha N. P. entendido cómo se determinaron en el concilio prouincial de Goa algunas cosas, de que se espera el Señor sacará fructo para la conuersión de esa gentilidad, y conseruatión y augmento de la xpianidad; y lo que V. R. por su parte en él trabajó [2] no será mal empleado, si este fructo se saca [a].

Los decretos del dicho concilio prouincial, que V. R. dize que se ynbían á N. P., no han llegado acá, como tampoco han llegado otras cosas de que se haze mentión en sus cartas: holgaremos de uerlo todo; que el Señor nos consuela mucho con las cartas y buenas nueuas que de allá se ynbían.

El fauor y ayuda que se desea para la Ethiopía, se ha también acá deseado y desea, y se ha en ello hablado á S. S., á quien tampoco faltan santos deseos; pero no podemos prometter nada del effecto, pues pende de otras fuerzas [3]. Haga el Señor lo que más su santa gloria fuere [b].

Al Padre patriarcha [4] se scriue de parte de S. S. que quede ó salga de la Ethiopía, según lo que juzgare ser mayor seruicio diuino; y si sale, procurará sacar los cathólicos que allí tienen.

Si uuiese de yr soccorro con armada etc., scriue N. P. al Padre visitador, que V. R. con los que pareçieren al dicho Padre podría yr allá.

El P. Joán Baptista romano, que V. R. pide para la Ethiopía, es en Roma en gran manera necessario; pero abra V. R. con sus oraciones, como ángel de esa prouincia, los caminos: que después, ó él ó otros, no les faltarán obreros.

Las dudas que en el concilio prouincial huuo, y VV. RR. acá

---

a sacha *ms.* —b puede *ms.*

---

[2] Prima synodus provincialis Goae anno 1567 celebrata est, cui e nostra Societate interfuerunt P. Antonius Quadrius, provinciae praepositus, P. Franciscus Rodericius, et P. Melchior Nunnius, rector collegii cocinensis. Cf. SOUZA, *Oriente conquistado,* II, 17.

[3] Videantur hac de re epistolae superiores.

[4] P. Andreas Oviedus.

las preguntan, para que uayan con auctoridad apostólica determinadas, se han dado á S. S., y ynbiarse ha su respuesta, si nos la dan, para que pueda yr con este correo.

Quanto á lo que aora podemos dezir es, que en los matrimonios juzgó S. S., y lo mismo han determinado los cardenales que están deputados para las cosas del concilio, que son uálidos y lo serán los que se hizieren, aunque no interuenga sacerdote, en las partes donde no ay parochias ni curas parochiales, como es cierto que no los [c] ay en esas partes para donde se demanda la facultad; pues el concilio tridentino dize, que comiençe á tener fuerza aquel decreto desde á 30 días que en la parrochia se publicare [5]; de manera, que donde no ay parrochia, no comiença á obligar etc.

Ha S. S. confirmado por otros diez años las gracias que esta santa sede auía dado para esas partes.

Díxose también á S. S. lo que tocaua [á] aquel arzobispo de Níniue, para que, si acá acudiere, se haga el officio deuido; y hase mucho holgado con el obispo.

Las demás cosas sabrá V. R. por las que se scriuen á otros Padres, specialmente uisitador y prouincial, y más en particular por la anual que ua de Roma.

En las oraciones y sacrificios de V. R. nuestro Padre y todos nos encomendamos. De Roma 7 de Enero 1569.

---

[c] nos lo *ms*.

---

[5] «Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis, in eadem parochia factae, numerandos.» CONC. TRIDENT., sess. XXIV, decr. de reform. matrim., cap. I.

695

PATER BALTHASAR ALVAREZ

PATRI FRANCISCO BORGIAE

METHYMNA CAMPI 27 JANUARII 1569 [1].

Status domus methymnensis describitur.—Aedificii amplificatio lente procedit.—Franciscae Manjón promissiones, ejusque erga Societatem studium.—Novus provinciae praepositus domum methymnensem invisit.

Jhs

Muy Rdo. Padre nuestro en Chro. Pax X.[i] etc. Somos en esta casa de probación de presente como 35; y de estos los 17 nouiçios. El Padre prouinçial tiene ánimo de llegarlos hasta 20 ó 24, y que todos sean scholares (que será obra para la institución de esta casa bien conviniente) [2]. Ternemos necesidad de la ayuda de V. P. para sustentarlos. Y por la que dize el Padre que nos ha mandado hazer ya, sea á V. P. el premio el Señor; que muy obligados nos sentimos con ella en estas mudanças que por orden de V. P. se han hecho.

Hará falta en esta casa el P. Ordoñez [3] (que era grande obrero); y como nuestro sustento es lymosna, aménguase con el desgusto de los penitentes. El Padre prouincial muestra voluntad de traer en su lugar quien pueda ayudar. El P. Trigoso [4] vino en lugar del P. Baptista [5]. Nueuo pareçe en el officio; mas la fe que yo tengo en la ordenación de V. P. y en sus oraçiones, me da confiança en el Señor que suplirá nuestra necesidad cumplidamente. Y para poder atener con la continuación de mi carga (en

---

[1] Ex autographo, in codice *Hispan. epist. 1569 A.*, 2 ff., n. 332.

[2] Novus praepositus provinciae castellanae, P. González Dávila, novitiorum numerum augendum existimans, vix provinciae regundae curam suscepit, id Borgiae proposuit, et, illo probante, opere complevit. Supra, IV, 558.

[3] P. Joannes Ordoñez in catalogo collegii methymnensis, circa annum 1573 exarato, 38 annos aetatis, 14 Societatis numerare dicitur. Officio operarii ibidem fungebatur.

[4] De P. Petro Trigoso diximus supra, III, 294, annot. 4.

[5] P. Joannes Bta. Sancius. Supra, IV, 502.

que V. P. me dexa), pido humilmente su bendiçión, y al P. Mtro. Dionisio Vázquez [6] que lo acuerde á V. P.

El edifiçio ha creçido poco, después de la muerte del fundador, aunque se ha perfiçionado en algunas cosas. D.ª Francisca [7] dize que desea acreçentarlo, y da buenas palabras. Está bien con V. P., y asy reçibió con gusto la carta que le truxo el P. Mtro. Ripalda [8], y responde á ella, y ayuda con lo que puede de presente; y el P. Dr. Castillo [9] ha hecho buen officio con ella en esta parte.

El Padre prouincial ha començado su visita por esta casa [10]. Anímanos mucho la buena voluntad que la muestra, y vniuersalmente á ttoda la prouincia su electión, y la que V. P. ha hecho de todos los demás superiores en ella. Lo que á nosotros toca, entendemos que lo deuemos á V. P., y la salud que el Señor nos da; y para que nos dé la del alma, humilmente nos encomendamos en los santos sacrifficios y oraciones de V. P. De Medina del Campo 27 de Henero 1569.

La anual y cathálogo van con ésta.

De V. P. indigno hijo y sieruo en el Señor.

† BALTHASAR. †

Inscriptio. Ihs. Al muy Rdo. Padre nuestro en Chro., el P. Francisco, prepósito general de la Compañía de Iesús. Roma.

Manet sigillum.

---

[6] P. Dionysius Vázquez Romae adjutor secretarii Societatis erat.

[7] Francisca Manjón, vidua Petri Quadrati, collegii methymnensis fundatoris.

[8] P. Hieronymus Ripalda, qui congregationi procuratorum Romae anno superiore pro Castellae provincia interfuerat. ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en la asistencia de España,* II, 279.

[9] P. Didacus del Castillo.

[10] Supra, IV, 501, 542, 558.

696

JOANNA BORGIA

PATRI FRANCISCO BORGIAE

TAURO 29 JANUARII 1569 [1].

De partu et aegrotatione marchionissae de Alcañices.—De eleemosyna pro templi romani Societatis fabrica Borgiae erogata.—De rebus domesticis.

✝
Señor

A onze deste, á las onze de la noche, fué Dios servido de alunbrar á la marquesa [2] y darle una hija, con que estamos muy contentos, auunque no an faltado travajos con averle acudido á la marquesa grandes calenturas y á avrírsele un pecho; y así queda arto fatigada, auunque lo pasa con gran paciencia. La niña está vuena. Llámase Tomasa [3], por una devoción que la marquesa tiene con este glorioso santo. El marqués [4] sanó con el contento, que avía más de cuarenta días que estava con calentura y mal de pechos, que es lo que de ordinario le fatiga, y sobrevínole dolor en el ygado agudísimo. Temimos no se le yciese postema en él, que hera cosa muy peligrosa. Dióme muy ruynes días. Vendito sea el Señor, que los mejora.

A sido mucho el contentamiento que an mostrado, así los amigos como los que no lo eran tanto; y de parte de su mujer del señor don Martín tuvimos visita con todas muestras de contento. Escrívolo á V. P. porque sé que se le da la paz.

El P. Strada [5] nos vino aquí avrá dos días, y me traxo una

---

[1] Ex autographo, in codice *Epist. famil. Borg.*, 2 ff., n. 80, 81. Joanna, quae hanc epistolam scripsit, erat vidua marchionis de Alcañices, Joannis Enríquez de Almansa, filia Sti. Francisci.

[2] Elvira Enríquez de Almansa et Borgia, marchionissa de Alcañices. Supra, IV, 96.

[3] Thomasa Enríquez de Borja. Cf. BÉTHENCOURT, *Historia genealógica y heráldica de la monarquía española*, IV, 251.

[4] Alvarus Borgia, filius Sti. Francisci, qui cognomen mutavit in Enríquez de Almansa, quando marchionissam de Alcañices uxorem duxit.

[5] P. Franciscus Strada (Estrada). Vide epist. 729.

carta de V. P., que fué la que traxo el P. Ripalda [6], y no pudo Su R.cia traerla, porque se le ofreció un camino que no pudo escusar. Dize vendrá después. Y así no tengo en qué responder más de lo que V. P. en su carta manda. Yo la mostré á el marqués, y todos quisiéramos estar de suerte, que pudiésemos sacar á V. P. de tanto cuydado, como es deber [7]; y porque éste nos tiene en términos, que nos fuerza á desazernos de criados y recojernos, no podremos dar más de docientos ducados: somos cuatro con la recién nacida, á cincuenta cada uno. Estos ma[n]de V. P. á quién se a de acudir con ellos, y así se ará, y con el silencio que se pide. Y á estar más aliviados de lo que es obligación acudir primero, viera V. P. con cuánta razón podía poner esta casa en las primeras de la lista, pues, dexado aparte la obligación natural, la afizión particular pudiera tanto, que no diera ventaja á nimguna obligación.

De la enfermedad que V. P. a tenido tendré nuevo cuydado. Guarde nuestro Señor á V. P. como todos emos menester; y auunque espero que estará V. P. ya muy libre, suplico á V. P. mande á el P. Dionisio [8] me lo escriba.

El marqués y la marquesa piden la vendición; yo la pido para Tomasica. Suplico á V. P. pida á nuestro Señor la aga muy sierva suya; que, como la quiero bien, no sé otro mayor que azerle.

Esta va por vía de Valladolid; y por no saver si será vía tan cierta, no escrive el marqués. D. Juan, mi hermano [9], está auún en la corte: aguarda cada día que le despachen, y según me [e]scrivió, están ya en buen término sus negocios.

Mi señora doña Lorenza [10] y sus hijas están buenas.

De Gandía e tenido cartas. Tienen salud, auunque el duque [11]

---

[6] P. Hieronymus Ripalda. Vide epist. praecedentem, annot. 8.

[7] Sermo est de solvendo pretio situs pro templo romano Societatis empti, ad quod eleemosynas Borgia ex familiis nobilibus Hispaniae corrogarat. Supra, IV, 659-661.

[8] P. Dionysius Vázquez, socius secretarii Borgiae.

[9] Joannes Borgia et Castro, filius Sti. Francisci.

[10] Laurentia de Loyola, et Oñaz, uxor Joannis Borgiae.

[11] Dux V Gandiae, Carolus.

anda achacoso de unas malencolías que le fatigan mucho, y las mías no duermen; mas no es tienpo de quejarme, sino dar gracias á nuestro Señor. Él guarde á V. P., como todos hemos menester. De Toro á XXIX de Henero.

Hija de V. P.

La marquesa doña Juana.

Inscriptio. Para el P. Fran[cis]co, mi señor. En Roma.

697

ARCHIEP. CAMERACEN. ET EPISC. ATREBATEN.

PATRI FRANCISCO BORGIAE

BRUXÉLLIS 30 JANUARII 1569 [1].

Borgiam obsecrant, ut, quoad ejus fieri possit, sociis in collegio duacensi degentibus potestatem faciat subeundi conditiones ab academia propositas.

Salutem plurimam.

Abbas aquicinctensis monasterii [2], vir sanctus et pius, collegium in academia duacena magnis sumptibus et extruxit et dotauit, ac illud ipsum fratribus Societatis Jesu ob praecipuas vtilitates ecclesiae, vt est gloriae diuinae salutisque publicae desiderio prorsus inflammatus, attribuit [3]. Itaque cum eius collegii nos auspiciis interessemus, mirifice animos nostros spes quaedam fructus vberrimi recreabat, quem cum ex hominis christianissimi liberalitate, tum ex pietate, doctrina, ac moribus fratrum eius ordinis et instituti ad hanc prouinciam rediturum esse speramus. Sed huic negotio nonnihil tamen intercessit ne tum plane stabiliretur, dum vniuersitas duacena certis legibus et conditionibus hoc idem collegium erigi consensit, vt in eo studia litterarum exerceri possent. Has vero conditiones, quanquam minime durae videbantur, tamen, vt eas acciperent, fratres eiusdem Societatis sibi sine auctoritate et mandato Rdae. P. V. licere non pu-

---

[1] Ex archetypo, in codice *Epist. episcop. 1564-1590,* 2 ff., n. 519.

[2] Joannes Lentaillerus, in *Epist. P. Nadal,* vol. III, a nobis saepe laudatus.

[3] Cf. *Epist. P. Nadal,* III, 560, 565, 572 etc.

tarunt. Itaque haec controuersia tota ad iudicium atque arbitrium eius relata est, constituto sex mensium tempore, intra quod tempus posset et de negotio certior fieri, et decretum suum atque sententiam renuntiare. Ea est causa quamobrem Rdae. P. V. scribendum duxerimus, vt eius abbatis pium institutum sua auctoritate promoueat; sic enim rempublicam christianam, religionem, pietatem, remque litterariam plurimum iuuerit, quod cum impediri et interturbari nolemus, fuimus auctores Patri prouinciali, vt tantisper iis conditionibus acquiesceret, dum Rda. P. V. suam voluntatem declarasset. Quare pro nostra in ecclesiam Christi pia voluntate, et erga eum ordinem beneuolentia, cui Rda. P. V. salutariter et feliciter praeest, eam maiorem in modum obsecramus, vt, quoad recte fieri possit, fratribus suis, in eo collegio iam degentibus, potestatem faciat conditiones eas, ab vniuersitate propositas, subeundi, incolumi semper eiusdem ordinis iurisdictione ac priuilegio. Quod facile facturam speramus, vbi plane viderit magno dignitatis ecclesiasticae commodo id constitutum iri. Sed haec, quoniam melius eadem Rda. P. V. suorum litteris intelliget, nostram tantum commendationem adiungendam putauimus; quae cum iustis rationibus nitatur, non videtur necesse, vt eius expromptum animum ad ecclesiae commoda pluribus incitemus, res enim seipsam commendat. Valeat eadem Rda. V. P. et viuat feliciter in Domino. Bruxellae III.° calend. Februarii M.D.LXVIIII. Rdae. P. V. amici et fratres,

MAXIMILIANUS A BERGIS, archiep. cameracen. indignus.

FRANCISCUS RICHARDOTUS, episc. atrebatensis.

Inscriptio. Rdo. in Christo Patri, P. Francisco de Borgia, generali fratrum ordinis Societatis Jesu, etc. Romam. p. e.

Sigilli vestigium.

698

PATER RODERICUS ARIAS

PATRI FRANCISCO BORGIAE

METHYMNA CAMPI I FEBRUARII 1569 [1].

Pater Balthasar Alvarez omnium virtutum exemplar.—Ejusdem subditi laeto animo regularum observantiae incumbunt.

† Jhs

Muy Rdo. Padre nuestro en X.° Pax X.[i] etc. Hago esto por cumplir la regla del officio de consultor; que en lo demás por la misericordia del Señor no tengo que dezir, sino que el Padre rector nos es á todos los de esta casa dechado de toda virtud; porque él es el primero en todo exerçiçio de penitencia, y así regularmente todos proçeden con alegría en la obseruançia de las reglas y constituçiones. Antes se me ofreçe que tiene el Padre rector neçessidad de algunos recuerdos para conseruar la salud, y para que con mucha oración y penitencia no se quiebre, como entiendo lo haze V. P. y lo hazen los superiores inmediatos. Y porque no se me ofreçe otro, cesso, encomendándome en los santos sacrificios y oraciones de V. P. Medina y Febrero 1, 1569.

D. V. P. indigníssimo hijo en el Señor,

† R. Arias.

Inscriptio. Ihs. Al muy Rdo. Padre N. en X.°, el P. Francisco de Borja, prepósito general de la Compañía de Jesús. Roma.

Sigilli vestigium.

---

[1] Ex autographo, in codice *Hispan. epist. 1569 A,* 1 fol., n. 334.

699

MARIA MANRIQUE DE LARA

PATRI FRANCISCO BORGIAE

BARCINONE 2 FEBRUARII 1569 [1].

De litteris sibi datis, de P. Ayala sibi reddito et de imaginis munusculo, Borgiae gratias agit.—Fundatorum privilegiis, sibi a Borgia oblatis, generoso animo renuntiat, totamque suam rem familiarem collegio barcinonensi donat.

†

Rmo. Sr. Beso las manos á V. P. por el regalo y merced que con su carta he rescebido, y también por hauer buelto á esta casa al P. D. Joseph [2]. Yo no he querido, hasta ver á su md., dar cuenta á V. P. de mi jornada y buelta. En todo he rescebido las misericordias que N. S. vsa conmigo; particularmente la ha sido hauerme traydo á morir á mi rincón.

Estuue tan mala en casa [de] mi señora la duquesa, que tuue tan poca esperança de verme aquí, que aun no lo creo. Y aunque allí tuue todo el regalo que podía dessear, todavía desseaua ver estas paredes de Bethleem [3], las quales entendía que me hauían de dar salud; y assí entiendo que me la dieron las oraciones destos Padres y hermanos, y assí con ésta, aunque no del todo entera, me puse en camino tan largo á 9 de Deziembre. Vine tan de espacio, que he llegado mejor, y assí lo estoy, gloria á Dios, con harto dolor que V. P. no tenga la que yo le desseo: déla Dios tan cumplida como yo le supplico.

De negocios, pues el P. Gil González [4] y el Padre rector ha-

---

[1] Ex archetypo, in codice *Hisp. epist. 1569 A*, 2 ff., n. 261, prius 804. Quanam die data fuerit haec epistola, in ea omittitur; sed ex litteris P. Josephi de Ayala, simul cum hac epistola Borgiae datis, novimus 2 Februarii anni 1569 eam scriptam fuisse. Subscriptio et postscriptum sunt autographa.

[2] P. Joseph de Ayala, rector collegii barcinonensis.

[3] Templum collegii barcinonensis sub titulo Dominae Nostrae de Bethleem dedicatum fuit.

[4] P. Aegidius González Dávila inspector provinciae Aragoniae fuerat anno superiori. Supra, IV, 429-431.

urán dellos auisado á V. P., no tengo yo que dezir, sino que, aunque no negocié todo lo que quería, vine contenta con el cornadillo que truxe para este collegio. Vendí las quatrocientas y veinte y cinco mil marauedís de juro de por vida, por docientas de juro perpetuo, situadas muy bien, cuya cobrança no será difficultossa. Estas he dado á este collegio, junto con tres mil y quatrocientos ducados después de mi vida, de los quales me hizo S. M. merced en Monçón, y bueluo agora á supplicarle me los assegure con otra contracédula.

El Padre rector me ha significado y offrescido de parte de V. P. la fundación desta casa, attento á que en esto que he dado y daré después de mi vida, junto con mis casas y lo que en ellas ay, hauría para sustentación de más de veinte; pero yo tengo en tanto este fauor, que me obliga á no acceptarlo, no haziendo yo más de lo que agora hago, pues lo que pretendo es sólo Dios y el bien desta casa, el qual no quiero yo impedir con este cornadillo que doy, hasta ver en qué paran mis negocios. Y pues á esta prebenda ay pocos agora que se oppongan, supplico á V. P. haya por bien se suspenda, porque yo querría obligar á la Compañía tanto, quanto ella me tiene á mí; y aunque no se me agradesciesse, quedaría muy satisfecha; y pues el Padre rector scribe, no quiero yo ser pesada con la mía larga [5].

Beso las manos á V. P. por la merced de la ymagen, que, demás de serlo, la tengo yo en mucho por prenda de tenerme V. P. por hija. Y assí supplico á V. P. se acuerde de mí en sus oraciones, y lo mismo pido á essos Padres.

Besa las manos á V. P. su yja,

D.ª Marya Manryque de Lara.

---

[5] En quae eadem die in epistola supra commemorata hac de re P. Ayala Borgiae scribebat: «... La Sra. D.ª María vino. Dexó mercadas doçientas mil marauedís de renta para este collegio, las quales goça ya desde el principio deste año. Déxale después de su uida tres mil y quinientos ducados, sus casas, plata y alhajas. No a querido aceptar la fundaçión ni nonbre de fundadora por hagora. Y asy lo que yo he recibido es como de simple donatión, y no de fundaçión. Dice que después de sus días que haga lo que quisiere la Compañía; que en sus días que no quiere tal nonbre, ni impedir á la Compañía mayores fundationes. Ella escriue á V. P.» Ex autogr., in cod. *Hispan. epist. 1569 A*, 2 ff., n. 253.

No pydo perdón por la mano agena, pues creo que ago más servycyo á V. P. y á my memorya, por no saber vsar de secretaryo. El de V. P. está oblygado á pagarme con encome[n]darme á Dyos. Él dé á V. P. lo que yo le suplyco.

